281.
Philosophia
R
2938
R C. 340.

Schediasma Historicum,

Quo,

Occasione Definitionis vetustæ, quâ Philosophia dicitur

ΓΝΩΣΙΣ ΤΩΝ ΟΝΤΩΝ,

varia discutiuntur

Ad Historiam tùm Philosophicam,

tùm Ecclesiasticam pertinentia:

Inprimis autem inquiritur in ultimas Origines

Philosophiæ Gentilis, & quatuor in eâ Sectarum apud Græcos præcipuarum;

Hæreseos item Simonis Magi, Gnosticorum, Massalianorum & Pelagianorum;

Denique Theologiæ Mysticæ pariter ac Scholasticæ.

Autore

M. JACOBO THOMASIO,

in Acad. Lipſ. Oratoriæ Prof. P.

BIBL. ACADEM. DORPATENS.

DORPATI,

Excudit JOHANNES BRENDEKEN, Acad. Typograph.

ANNO M. DC. XCIV.

VIRIS

Reverendißimo, Magnificis, ſummè Reverendis, Ampliſſimis atq; Excellentißimis

Dn. D. MARTINO GEIERO,

POTENTISS. ELECTORI SAXONIÆ JOHANNI GEORGIO II. à Conſiliis Eccleſiaſticis, Confeſſionibus Sacris, & Concionibus Aulicis Primariis, etc.

Dn. D. SAMUELI LANGIO,

SS. Theologiæ in Academiâ Lipſienſi Profeſſori Publico, Conſiſtorii Aſſeſſori, Eccleſiæ ad D. Thomæ Paſtori, Vicinarumquè Superintendenti, etc.

Dn. L. ELIÆ SIGISMUNDO REINHARTO,

Eccleſiæ Lipſienſis ad D. Nicolai Paſtori, etc.

Theologis Maximis, deq; Eccleſiâ JESU CHRISTI benè meritißimis,

Quicquid hoc eſt, ſacrum cupit

Studiorum ſuorum Patronis

M. JACOBUS THOMASIUS.

QUi nos ex obitu Jacobi Welleri luctus occupaverat, quanquam ejus memoriam nullâ temporis longinquitate deleri fas est, non debuit tamen dejicere nobis frontem diutiùs, quàm donec Divini Numinis Clementiâ, Potentissimiq; Principis Electoris autoritate, Summo Theologo par esset Successor datus. Id ubi sic cecidit, ut quotidianâ præsentiâ carissimi Capitis carendum de postero esset Lipsiæ meæ, serenitatem gaudii nostri, fateor, ea res nubeculâ quadam afflaverat penè, nisi cogitatio subiisset, Solem nobis nostrum, quò sublimiore semitâ veheretur, eò potentiores radios indulgere posse. Accedebat, quòd hunc casum ita cernebamus temperari divinitùs, ut quem locum ante annos novem tenuisset huic Urbi dilectissimus merito suo Senex Christianus Langius, in eum cum publica omnium lætitia Parenti optimo æqualis optaretur Filius. Cui postea quam placuit ejus Templi, quod patrios cineres asservaret, Ecclesiam pascere, quærendus fuit

fuit Successor etiam illi cathedræ, quam antehac animavisset eloquentia Hülsemanni. Patet nimirum, id egisse Sapientiam Divinam, ut dum unius fidelissimi Servi pacium expletur, duûm aliorum exempla renovarentur. Quod consilium Dei dum in VOBIS,

CONSUMMATISSIMI THEOLOGI,

effectui datum contemplor, in eoq; suaviter acquiesco, Tribus unam allocutionem deberi, saltem excusare se posse, summ arbitratus: maximè cum illud quoq;, præterita vestra tempora inspiciens, reputarem animo, nullum fuisse de Vobis, cujus robur non exercuerit Deus ante in peculiari theatro, solidumq; & constans invenerit. Unum enim Lipsicæ urbis non unæ angustiæ; Alterum Pegavienseincendium; Tertium agon Berolinensis probaverunt. Alias vestras eximias dotes, & eâ, quam sustinetis quisque, persona dignissimas, neque occino Vobis, ne in illam omnium virtutum ornatricem modestiam peccem Vestram; neq; lecturis hæc aliis ingero, ne diffidere publicæ hominum conscientiæ videar, cui Vos jam diu præclarè factorum comes Gloria literis nunquam fugituris inscripsit. Patiemini ergò, ut quam singuli gratulationem exigere poteratis, ea semel complectar universos. In quo si quid est à me peccatum, exemplo me Vestro tuebor, qui veluti signis conjunctis in una acie militantem Ecclesiam adjuvatis. Ne planè vacua Vobis adveniret hæc Epistola, Schedias-

ma, quod videtis, ad pedes ea Vestros deponit, in quo partem Philosophicæ historiæ, partem Ecclesiasticæ attigi: secutus in altero, quid me scribere, in altero, quid Vos legere maximè conveniret. Sed hoc verbum velim accipi tanquam ab eo, qui argumentum laudet, non qui sui sit operis ipse præco. Nam in me vereor, ut quicquam placere Vobis possit præter animum offerentis. Tantò magis, quia cùm primas ducerem lineas, nihil minùs decreveram, quàm Bibliopolam advocare, qui toto, quod ajunt, sacco sereret Exemplaria. Parabam aliquod Programma, (cur enim dissimulem?) quod Catalogo Lectionum publicarum nostræ Facultatis vicem præstaret proœmii: quod scripti genus brevissimæ, nec intrà nisi unius Academiæ fines absolvendæ vitæ ferè destinari non ignoratis. Inopinanti crescebat argumentum, & unius folii modum superabat: præsertim ubi à definitione Philosophiæ ad locum Apostoli de ψευδωνύμου γνώσει duci me sivissem. Hinc enim ad Gnosticos, Clementem Alexandrinum, Pelagium, Theologos mysticos divertendi spacioſa se aperiebat planities. Inter hæc sentiebam cupiditati meæ, celeberrimum nomen Vestrum publicè venerandi, materiam sua sponte sic progerminare. Quamobrem totum repente mutavi scriptionis genus, & per succisivas horas aliis alia subinde attexui, donec in exiguam hanc molem surgerent pagellæ. In quibus si quid est, quod juvare ti-

ronem

ronem historiæ possit, (nec enim Vos doceo,) id omne Vobis, quorum contemplationè, quoties fessus forem, erigi, me sensi mirificè, cupio deberi; cætera imbecillitati meæ ignosci. Quale autem cunq; est, VOBIS, PATRONI, fisto, nec titulum illi a Vobis alium opto, quàm ut patiamini signum extare, tùm ingentis gaudii mei, quod collatæ in Vos hoc anno Dignitates elicuerunt; tum reverentiæ submissæ, quâ prosequor, sumq; porrò, quamdiu vixero, prosecuturus fastigium Sapientiæ, Pietatis, Zeli, Facundiæ, ceterorumq; Ornamentorum, quibus abundè Vos instruxit Sanctissimum Numen. Ab Eo rogo, ut Ecclesiæ Vos Suæ quàm diutissimè sospites degere jubeat! At Vobis autem, ut plurimis experimentis atq; indiciis testatissimum favorem Vestrum mihi cæterisq;, quibus Academiæ hujus Juventutem ad altiora præparandi commissum est negotium, prolixè conservetis. Lipsiæ d. 28. Septemb. Anno 1665.

INDICULUS

Emendationum præcipuarum.

Emendantur.

Clemens Alexandrinus, p. 37. Gennadius, p. 49. u. Irenæus, p. 24, 9. Socrates Historiæ Ecclesiasticæ scriptor, p. 42. Varinus Lexicographus, p. 37. & 69.

Nomi-

Nomina Autorum,

Quorum præ cæteris judicia expeuduntur.

Rob. Bellarminus, *p. 61, 45.*
Car. Bumannus, *p. 11, b.*
Lamb. Danæus, *p. 25, m. p. 62, 48.*
Liv. Galantes, *p. 68, 82.*
Hug. Grotius, *p. 20. 4. pag. 26, n.*
Henr. Hammondus, *p. 20, 6.*
Dan. Heinsius, *p. 43.*
Desid. Heraldus, *p. 35, u.*
Joh. Hoornbeek, *p. 74, 9. & p. 75, 12.*
Bened. Justinianus, *p. 26, o.*
Just. Lipsius, *p. 29. & 47.*
Franc. Patritius, *p. 11. b. p. 13. f. p. 68, 82.*
Theoph. Raynaudus, *p. 68, 84.*
Aug. Steuchus, *p. 68, 84.*
Steph. Theupolus, *p. 13. f.*
Gisb. Voetius, *p. 53.*

Juvan-

Benevolo Lectori
Salutem plurimam dicit
MICHAEL DAU,
in Reg. Dorpat. Acad. P. P.

INvestigandis rerum originibus bonas horas impendere uti pulcherrimum & ad scientiarum artiumq; genuinam culturam finesq; earum proferendos utilissimum est: ita arduum cumprimis & cum difficultate non unâ conjunctum agnoscunt, qui interiores literas amant & sectantur. Cum enim non præsto sint omnia subsidia vel præcipua saltem, quæ laborem hunc aggredientibus sunt necessaria: omnis generis scriptorum loculos excutiat necesse est, si quis cum laude in hoc argumento versari & eruditorum desideriis satisfacere velit. Nimirum non illi solum evolvendi Autores quorum frontispiciis præscriptum est, quid ab illis expectare queant Lectores, sed tales etiam qui dum non datâ operâ aliquid tractant ἐν παρόδῳ tamen ita de eo disquirunt, ut lucem obscurioribus non spernendam fœnerentur. Quantum autem hic labor ingenii sudoris vigiliarum postulet, tametsi quivis facilè, cui sanum est synciput intelligit: nemo tamen rectius æstimabit illis qui vasto huic pelago sese commiserunt, vel laborem

huic affinem ſuſceperunt. Hiſtorias Romanas ab antiquiſſimis fabulis neminem ante ſe orſum eſſe in Antiquitatum ſuarum proœmio memorat Dionyſius Halicarnaſſeus & difficultate negotii deterritos eſſe complures judicat propriâ edoctus experientiâ; Quam ipſam cum habuiſſet Magiſtram Cicero, verè dicere potuit lib. 1. de Legibus: Hiſtoriam nec inſtitui poſſe, ſine præparato otio, nec exiguo tempore, quippe qui jam aliquot annos in gentis ſuæ originibus eruendis factisq; percenſendis deſudaverat, quod non ſolum ex Plutarcho, ſed & ipſius Ciceronis epiſtolis ad Q. Fratrem & Atticum cognoſcimus, in quibus paſſim de incommodis & operis magnitudine queritur. Hinc mirari non debemus ſi veteres pariter & recentiores Hiſtoricos, ſæpe aliquot luſtra, ſæpè magnam vitæ ſuæ partem in operibus ſuis concinnandis & elimandis conſumſiſſe legamus; quorum aliquot annotavit exempla, magnus ſeculi ſuperioris literator & Hiſtoricus Reinerus Reineccius in erudita oratione de Hiſtoria ejusq; dignitate. Factum ab illis videmus, quod faciendum eſſe ſvadet Polybius, Hiſtoricorum, ſi Cl. Bœcleri judicio ſtandum omnium prudentiſſimus, qui lib. 12. Hiſt. vult, eum qui ad Hiſtoriam ſcribendam accedit indeſinenter per omnem vitam huic operi incumbere, non autem obiter attingere illud debere. Quod ſi vero Hiſtoriam Civilem adornaturo tot moleſtiæ devorandæ tot incommodis conflictandum, quæ non difficultates illum excipient, qui Hiſtoriæ literariæ partem ſibi ſumit exornandam? Certe plus hic ſibi impedimentorum objici ſentiet, quam in Semana priscorum ſylva tramitem facturo ſeſe offerre potuiſſent. De illa enim veriſſime cenſet ὁ πάνυ Morhofius in Polyhiſtor. lib. 1. cap. 2. quod eam â Natalibus ſuis adhuc nemo aggreſſus ſit, addimus nos adgredi potuerit. Nullus enim fortaſſis ante ſummum ſeculi noſtri decus Franciſcum Baconum de Verulamio vel ſeriò de eâ cogitavit, vel eam animo ideam concepit, qualem hic nobis lib. 2. cap. 4. de Augmentis ſcientiarum delineavit. *Argumentum* inquit ibi *non aliud eſt, quam ut ex omni Memoria repetatur, quæ doctrinæ, artes, quibus Mundi ætatibus & Regionibus floruerint. Earum antiquitates progreſſus etiam peragrationes, per diverſas Orbis partes (migrant enim ſcientiæ non ſecus ac populi.) rurſus declinationes, obliviones inſtaurationes commemorentur. Obſervetur ſimul per ſingulas artes inventionis occaſio & origo, tradendi mos & diſciplina colendi & exercendi ratio & inſtituta. Adjiciantur etiam ſectæ & controverſiæ maxime celebres, quæ homines doctos tenuerunt, calumniæ quibus patuerunt, laudes & honores, quibus decoratæ ſunt. Notentur Autores, præcipui libri præſtantiores ſcholæ ſucces-*

ſucceſſiones Academiæ ſocietates, collegia, ordines, deniq; omnia, quæ ad ſtatum literarum ſpectant. Ante omnia etiam id agi volumus (quod civilis Hiſtoriæ decus eſt, & quaſi anima) ut memorentur Naturæ Regionum ac populorum indoles apta & habilis aut inepta & inhabilis ad diſciplinas diverſas. Accidentia temporum, quæ ſcientiis adverſa fuerint, aut propitia, Zeli & mixturæ Religionum, Malitiæ & favores Legum, virtutes deniq; inſignes, & efficacia quorundam virorum erga literas promovendas & ſimilia. At hæc omnia ita tractari præcipimus, ut non Criticorum more in laude & cenſura tempus teratur, ſed plane hiſtoricè res ipſæ narrentur, judicium parcius interponatur. Vel ipſi Chalcenteri & Adamantini cohorreſcerent ſi tantæ molis negotium illis imponeretur. Neq; enim unius Viri labor eſt, nec unius ætatis. Quantam verò rei literariæ felicitatem angurari liceret, ſi de ſingulis diſciplinis & artibus ea eſſent literarum monumentis conſignata, quæ prudentiſſimus Baconus præſcribit. Haberet profecto genus humanum de quo ſibi impensè gratulari poſſet. Intimi ſic receſſus ſcientiarum paterent neq; tot amplius cruces figerentur bonarum artium cultoribus; quorum complures haud contenti vitrum lambiſſe, dum ad vivum omnia reſecare cupiunt, optimos conatus ſuos deſtitui ſentiunt, proptera quod incunäbula por-

progreſſus incrementa & viciſſitudines ſcientiarum & memorabilium ſententiarum hujus hiſtoriæ defectus eos cogat ignorare. Itaq; optare hactenus hanc felicitatem conceſſum fuerit, ſperare integram vix licebit, quamdiu duriori fato tantum non ubiq; premi literas videmus; Quas ſi benignior aliquantò ſors fovere cæperit, hinc quòq; majus illis accedet præſidium & ornamentum, & ingenia feliciora perruptis obſtaculis quibusvis in id faſtigium evehent literas meliores, quod eminus ſolum videre Majoribus fuerat conceſſum. Interim dum ineluctabilis fatorum neceſſitas illis incumbit, tanto majori Encomio afficiendi ſunt illi, qui ſpretis moleſtiis & difficultatibus omnibus in hac palæſtra vires ſuas periclitati ſunt, & hodienum periclitantur. Nullo enim beneficio orbem eruditum ſibi magis devincire poſſunt, quam quod lucubrationibus ſuis has tenebras quodam modo diſcutere conentur. Et agnoſcunt ſanè cordati omnes eximios eorum labores, grataq; poſteritas, cui hæc vindemia paratur, debitis eos in cælum laudibus extollet. Præcipuè inter illos colent & venerabuntur M. Jacobum Thomaſium Profeſſorem quondam Academiæ Lipſienſis undiquaq; meritiſſimum. In cujus viri laudes ſe effundant quibus perſpicacius ingenium & ſolidior doctrina contigit. Mihi ſuffecerit idem elogium illi ſuſpendiſſe, quo

magnus Conringius Melchiorem Goldastum ab Haiminsfeld alicubi mactavit: Quod Athenienses olim in suo Prytanæo illum aluissent, si iis vixisset temporibus. Peplo utiq; dignus est, vel si qua sunt præclariora, quibus Heroum literatorum memoriam politior orbis conservare consvevit. Quod enim scientiæ genus est, quod ille non ita exhausit, ut nihil reliquerit intactum? Quicquid in humaniori literatura elegans, in Philosophia reconditum, in omni antiquitate rarum est, in numerato prorsus habuit, dignissimus, quem laudatissimi Actorum Eruditorum collectores alterum appellarint Xenophontem. Ego quidem sic statuo, quod nisi πολυμαθίας Morhofii aliquoties promissæ dissertationi de Meritis Germanorum in rem literariam fata interceſſissent, Thomasio nostro inter primos locum assignaturus fuisset. Tam multa sunt & magna, quibus virtus ejus inclaruit; Quam eò celsiorem fuisse quivis largietur, quò graviora fuerunt munera quibus eum providentia divina admoverat. Horum utrumq; cum vires ejus exhauriret sufficere tamen etiam edendis libris potuisse, merito miramur. Qui omnes quanquã sint egregii, illos tamen auro contra caros habendos existimo, quibus Historiam Philosophicam & Ecclesiasticam illustravit. Qui cum vel sparsim tantum antea prodierint vel inter schedas delituerint, optime

optime facit tanti Parentis non degener filius Christianus Thomasius quod doctissimos ingenii fœtus publico non invideat. In quo instituto utilissimo ut pergere non gravetur, omnes eum boni obtestantur. Quamdiu enim aliquis Eruditioni constabit honor non deerunt scriptorum Thomasianorum Amatores, quæ etiam doctiores passim in illa deducunt, quorum notitia rarior est & intricata. Me quod attinet, multum me ex scriptis ejus omnigenâ eruditione refertissimis profeciſſe, ingenuè fateor. Dumq; aliquod grati animi μνημήιον iteratam hanc editionem schediasmatis Historici (quod majoris operis de stoica mundi exustione etc. prodromus est.) in publicum exstare volo, illorum quoq; studiis consuli posse existimo, qui non in cortice hærent Theologiæ & Philosophiæ, sed nucleum amant, & lautitias scientiarum. Occasionem capiendi consilii dederunt lectiones publicæ, quibus ontologia s: ὀντολογίαν mavis, erat explananda. In his cum de objecto Metaphysicæ Scholasticorum, ex illorum mente, qui sputũ miseræ hujus gentis avidè lingunt, differendum esset, erroris origo ostendenda fuit, qui veri speciem hactenus mentitus sagaciores quoq; deceperat. Quem nemo eruditius & brevius detexerit quam noster Thomasius. Accedebant glisscentes indies in Germania controversiæ de sectâ Böhmistica, cujus Autorem cum aliqui ipsis

ipsis viris θεοπνεύστοις ausu prorsus sacrilego exæquent vel portentiloquia saltem ejus cum Scriptura sacra conciliare studeant, illis qui rerum causas studiosius rimantur non ingratum fore putavi, si fontes istius Theologiæ mysticæ recludi viderent à diligentissimo nostro Thomasio, ex quibus tot Heresiarchæ virus illud hausere, quo sanior Teologia sic infecta est, ut etiamnum inillo expurgando desudare cogantur strenui ὀρθοδοξίας Hyperaspistæ. Equidem sat magnam copiam exemplarium hujus opusculi in Bibliopoliis Germanicis prostare crediderim: sed in hoc remotiori orbis angulo tam rara sunt, ut viri quoq; docti illud sibi nũquã visum esse fateantur. Habes benevole Lector consilii mei rationes, quod si tibi probatur, hoc Thomasii labore quo Historiæ Philosophicæ & Ecclesiasticæ lucem attulit non exiguam gratus fruere illiq; perpetuum in urna ver apprecare. Si qua autem menda typographica præter opinionem irrepserunt, benevole corrige. Dabam

Dorpati, D. 26. Octob. 1694.

Juvante Triuno!

SCHEDIASMA HISTORICUM.

§. 1.

CUm in Academiis Literatorum universus Ordo in quatuor Collegia tribuitur, Theologorum, Jurisprudentum, Medicorum & Philosophorum: certum est, *Philosophiæ* vocabulum sic extendi, ut præter disciplinas principales, quæ solent in Theoreticam partem & Practicam dividi, comprehendat etiam instrumentales.

§. 2. Jam quod in corpore humano evenit, ut ex functionum nobilitate membrum aliud ponatur alio præstabilius: idem in partibus quoque Philosophiæ licebit observare. *Caput* haut dubiè dignatione vincit thoracem: & in capite *facies*; in facie *oculus* reliquarum partium externarum pretia longè supergrediuntur. Geminum in modum *principali* Philosophiæ fasces submittit instrumentalis; in principali Practica pars cedit *Theoreticæ*; inter Theoreticas disciplinas nulla se præferat *Metaphysicæ*.

§. 3. Hæc enim & i sa *Theologiæ* nomen apud veteres jure quodam suo sibi vendicat: & ministerium præstat præter cæteras Reginæ scientiarum Theologiæ: sacræ nimirum

illi ac revelatæ, nominis quodam consortio sibi junctæ: à quâ distingui tamen ut ipsa possit, *naturalem* eam cognominare solemus.

§. 4. Cæterùm ab hâc partis suprà partem eminentiâ factum esse, ut *Philosophiæ* vocabulum, quo totum aliàs artium nostrarum circulum designamus, interdum *pro parte quavis eximiâ sola*, deque cæteris velut avulsâ, usurparetur, non est difficile æstimatu.

§. 5. Ac *principales* quidem *disciplenas* tantùm ea vox insinuat, quoties *Philosophia* nominatur contrà *liberales artes*, (hæ enim priscis erant, quæ nobis hodiè instrumentales:) ut cùm Ammonius *a*) narrat, Aristotelem, ubi *artes ingenuas*, (τὴν τῶν ἐλευθέρων παιδειαν) edoctus esset, oraculo Pythiæ *philosophari* jussum Athenas concesisse.

a) in vitâ Aristot. p. 7. edit P. Joan. Nunnes. Lugd. A. 1621. Plura in hanc sententiam congessi in Programmate Baccal. A. 1663. 18. Jul.

§. 6. Solæ autem *Speculativæ scientiæ* dubio procul denotantur, ubicunque *Philosophia Politicæ*, aut Philosophus opponitur Politico, quod nec Platoni est infrequens, nec Aristoteli *b*).

Philosophus opponitur Politico.

b) *Plato* propè finem Euthydemi f. m. 212. ὃς (loquitur de Sophistis,) ἔφη πρόδικος μεθόρια φιλοσοφίᾳ τε ἀνδρὸς καὶ πολιτικῆ. Et pòst: μετρίως μὲν γὰρ φιλοσοφίας ἔχειν, μετρίως δ' πολιτικῶν. Et porrò in eandem sententiam plura. *Aristoteles* autem lib. I. Eudem. c. 4. & 5. tres δίας facit, πολιτικὴν φιλοσοφον, ἀπολαυστικὴν. Ubi πολιτικὸς idem est, quod πρακτικὸς & φιλόσοφος idem quod θεωρητικὸς ut constare cuilibet potest ex locis parallelis I. Nicom. 5. & VII. Polit. 2. Plura de oppositione *Politici* & *Philosophi* suggeret Cl. Schefferus c. 8. de Nat. Phil. Ital. p. 64.

§. 7. Denique ad solam *Metaphysicam* contrahitur hoc vocabulum

cabulum tùm alibi, tùm satis manifestè in hâc definitione: φιλοσοφια ἐστι γνῶσις τῶν ὄντων, ᾗ ὄντα ἐστί: *Philosophia est cognitio rerum, ut sunt c*). Vix enim verbo aliter Metaphysicam suam definit Aristoteles *d*). Ut mirari subeat errorem vulgarem, definitionē hanc de latè dictâ Philosophiâ interpretantiū *e*).

c) ita vertunt Conimbricenses proœm. in Phys. Arist. p. 3. Minùs accuratè Virgilius Saltzburg f. 4. Moralogii: *Philosophia est cognitio rerum, quæ sunt.* Græcam habes apud Damascenum, (cui & Ammonius jungitur à Conimbr.) c. 3. & 65. Dial. f. 614. & 670. ed. Bas. Ann. 1575. & Georg. Pachymerium lib. 1. Epit. in Arist. tit. 1. c. 2. quod caput seorsim quoque græcè edidit Joach. Cametar. cum λεχύτε δέκα λόγοις καθολικοῖς, & Anonymi μεθόδω εις τὰς τρόπας τῆς φιλοσοφίας. Quæ methodus quidem nihil aliud est, quàm excerptum ex c. 65. Dial. Damasceni, nisi quòd sex definitionibus Philosophiæ, quod non fecerat Damascenus, certos assignat autores. Et præsenti quidem Pythagoram.

d) IV. (al. III.) Metaph. 1. ἔστιν ἐπιστήμη τις, ἣ θεωρεῖ τὸ ὂν ᾗ ὄν. Et lib. X. (al. XI.) c. 3. ἔστιν ἡ δ' φιλοσοφία ἐπιστήμη δ' ὄντος ᾗ ὄν. Hunc locum videtur innuere licet error sit in numero libri, Stahl. Tab. 1. Metaph. ubi inter Synonyma Metaphysicæ ponit τὴν δ' φιλοσόφου ἐπιστήμην Porrò Clemens quoque Alexandrinus lib. I. Stromar. fol. 260. ed. Heins. & respexisse videtur ad hanc definitionem, & eam de Theologiâ seu Metaphysicâ exaudiisse. Cùm enim Mosaicæ Philosophiæ quatuor fecisset partes, harumque ultimam vocasset ἐποπτειαν *Theologicam*, quæ Aristoteli sit *Metaphysica*, Platoni *Dialectica*, paulò pòst de verâ Dialecticâ subjungit: διὸ καὶ μόνη ἄυλη ἐστὶ τὴν ἀληθεῖ σοφιαν χειραγωγεῖ, ἥτις ἐστὶ δυνάμις θεία τῶν ὄντων γνωστικη. Nec magnoperè discedit Hugo de S. Victore, cui lib. I. Excerpt. prior. cap. 4. (Tom. II. oper. f. 219. ed. Mog.

Ann. 1617.) *Sapientia* est comprehensio rerum, prout sunt.

e) quod faciunt allegati lit. *c*.

§. 8. Nam *Philosophiæ* vox ambigua decipere neminem debuit, qui sciret, *Metaphysicam* Aristoteli modò *primam Philosophiam* salutari, modò *Philosophiam* absolutè *f*): poterantque inprimis oculos aperire, qui definitionem illam dictè acceptam ferunt *Aristoteli g*).

f) Locos in hanc rem Aristotelis congerunt *Fonseca* Procem. Metaph. p. 15. *Jac. Martin.* Exerc. Metaph. p. 32. *Scheibl.* I. Metaph. 1. n. 4. & 5. *Stahl.* Tab. I. Metaph. *Dreier.* Disp. Met. p. 37. 38.

g) Ut Gerh. Matthisius proleg. Epit. Log. & Conimbricenses, qui nominatim citant locum Aristotelis ex X. Metaph. descriptum suprà lit. d. Et verò Aristoteles in Met. passim habet in ore τὸ ὂν ἢ ὄν.

§. 9. Quibus quidem de Autore libentiùs assentior, quàm illis, qui *Pythagoram h*) hîc nobis nominant, aut *Platonem i*).

h) Anonymus, suprà lit c. in fin.

i) Virgilius Saltzburgensis.

§. 10. *Platonis* enim illa potiùs fuerit, quæ est ap. Tzetzen *k*): γνῶτις τῶν ἀληθῶς καὶ ὄντως ὄντων.

k) Chil. X. hist. 343. Laert. in Platone p. m. 158. ἰδιαίτατα μὲν σοφίαν ἡγεῖται εἶναι τὴν τῶν νοητῶν καὶ ὄντων ἐπιστήμην, ἣν φησι περὶ θεὸν καὶ ψυχὴν σώματος κεχωρισμένην. Unde vides τὰ ὄντως ὄντα familiarem fuisse Platoni phrasin: de quo plurà infrà §. 14. Mentionem tamen hâc in re apud ipsum etiam invenio & ὄντως ὡς ὄν. V. de Rep. f. 668. lit. A. ἐπιστήμης μὲν ἐπὶ τῷ ὄντι πέφυκε γνῶναι, ὡς ἔστι τὸ ὄν. Sequitur lit. D. ἐπιστήμη μὲν γέ που ἐπὶ τῷ ὄντι τὸ ὄντι γνῶναι, ὡς ἔχει.

§. 11. *Pythagoræ* verò simpliciſſimam *Sapientiæ* (quod hîc nobis perinde esse debet ac *l*) *Philosophiæ*,) definitionem hanc profert

profert Pachymerius *m*): τῶν ὄντων γνῶσις. Dignam, cui nonnihil otii nostri donemus, vel ideò, ut dilucidum fiat, ipsam unà cum cæteris duabus unius *Metaphysicæ*, h. e. *Theologiæ* esse universas.

l) Notum, *Sapientiæ* nomen à Pythagorâ mutatum fuisse in vocabulum τῆς Φιλοσοφίας. Ac Φιλοσοφίαν hîc pro σοφίᾳ substituit Dionysius Epist. d Polycrpum. E qua Suidas sub Dion. Areop. inter alia hæc excerpit: τῇ γὰρ τῶν ὄντων γνώσει καλῶς λεγομένῃ πρὸς αὐτὸ (Apollophanem intelligit) φιλοσοφίᾳ, καὶ πρὸς ἣν θείᾳ παύλῳ σοφίᾳ θεοῦ κεκλημένην, πρὸς τὸν αἴτιον καὶ αὐτῶν τῶν ὄντων καὶ τῆς γνώσεως αὐτῶν, ἐχρῆν ἀνάγεσθαι τὰς ἀληθεῖς φιλοσοφίας.

m) Init. c. 2. lib. I. Epit. in Aristot. tit. 1.

§. 12. In isthâc ergò Pythagoricâ duo sunt, quæ expositionem flagitant: unum τὰ ὄντα, alterum γνῶσις.

§. 13. τὰ ὄντα memorantur & in aliâ secundùm Pythagoram (aliâ verbis, sensu eâdem) *Sapientiæ* definitione, cùm eam fecit ἐπιστήμην τῶν ὄντων ἀληθείας *n*) Utrobique τῶν ὄντων nomine sola *æterna* intelligi ac *materiæ expertia* docuit nuper in aureo de Naturâ & constitutione Philosophiæ Italicæ libello Joannes Schefferus *o*) Sveciæ ex Germaniâ nostra decus. Corporea enim, quæque in perpetuo fluxu essent ac mutatione, ὡσανεὶ ὄντα vocabant οἱ περὶ πυθαγόραν.

n) apud Jamblich. cit. Scheff. c. 7. de Nat. Phil. Ital. p. 50.

o) c. 8. p. 56. 57.

§. 14. Geminum in modum Plato ab *intellegibilibus* (νοητοῖς) distinguebat *sensibilia* (αἰσθητά.) Illa *esse* pronunciabat, hæc *fieri*. Illis οὐσίαν tribuebat, his γένεσιν. Illa ὄντως, παντελῶς, εἰλικρινῶς ὄντα nuncupabat, hæc γιγνόμενα, μὴ ὄντα, τὰ μεταξὺ τῶν παντελῶς ὄντων καὶ μὴ ὄντων *p*).

p.) Laert. in Platone p. 135. αἰσθητὸν μὲν εἶναι τὸ ἀεὶ ῥέον, καὶ μεταβάλλον. ταῦτα δ' εἶναι, ὧν ἀεὶ γένεσις, οὐσία δ' μηδέποτε πέφυκε. *Intelligibile Platoni Ens; sensibile Non ens.*

Νοητὸν δ' ἔξιν ἡ τῶν ἀιδίων Φύσις. Exp. 158. ubi νοητὰ sunt ὄντως ὄντα verba Laertii protulimus lit. *K.* Quibus adde p. 159. τὸ ἀίδιον καὶ ὂν καλεῖ, καὶ μὴ ὄν. ὂν μὲν διὰ τὸ γένεσιν αὐτῷ εἶναι, μὴ ὂν δὲ διὰ τὴν συνεχῆ αὐτῷ μεταβολήν. Adeundus & Apulejus lib. de dogm. Plat. p. 252. ed. Colv. Plato ipse VII. de Rep. f. 697. μάθημα ψυχῆς ὅλκιον ἀπὸ τοῦ γιγνομένου ἐπὶ τὸ ὄν. Quod lib. V. f. 667. 668. vocat quoque τὸ παντελῶς, τὸ εἰλικρινῶς ὄν, interque hoc & μὴ ὂν μηδαμῶς constituit quoddam τὸ μεταξὺ seu medium. Vide sis & *Paulum Benium* in Timæum Platonis p. 606. *Perer.* IV. Phys. 15. *Schegk.* Annot in Prædicab. f. 411. *Muret.* ad I. Nicom. 6. p. 84. *Patricius* Tom. III. Discuss. lib. IV. f. 317. *entis* & *geniti* distinctionem vocat Pythagoream atque Parmenideam. Stylum Platonis ut in aliis hîc etjam suum fecit Pseudo-areopagita Dionysius, cui solenne est, ut intelligentias vocet *ea quæ sunt*, res materiales *ea quæ non sunt*, ut observat ex Turriano Theoph. Raynaud. in Theol. Natur dist. 3. n. 79. p. 164.

§. 15. Paulò quidem aliter Aristoteles, qui *substantias accidentium* comparatione appellavit ὄντως ὄντα *q*). Idem tamen inter *substantias* principatum dedit *immobili* illi, cujus scientia esset *Philosophia prima*, circà *ens ut ens* occupata *r*), h. e. circâ *ens primum*, seu substantiam primam *s*), qnæ est DEUS.

q) lib. VI. (al. VII.) Metaph. c. 1. τὰ δ' ἄλλα λέγονται ὄντα, τῷ ἑνὸς ὄντος ὄντι τὰ μὲν ποσότητας εἶναι, τὰ δὲ πάθη, τὰ δὲ ἄλλό τι τοιοῦτων.

r) lib. V. (al. VI.) Met. c. 1. in fin. εἰ δὲ ἔστι οὐσία ἀκίνητος, αὕτη πρότερα καὶ Φιλοσοφία πρώτη, καὶ καθόλου οὕτως, ὅτι πρώτη, καὶ περὶ τοῦ ὄντος ᾗ ὄν ταῦτης ἂν εἴη θεωρῆσαι. Gemellus locus habetur III. (al. IV.) 3. ἐπεὶ δ' ἔστιν ἐπὶ τοῦ Φυσικοῦ τι ἀνωτέρω, (ἐν γὰρ τοῖς γένους τοῦ ὄντος ἡ Φύσις,) τοῦ καθόλου καὶ τοῦ περὶ τὴν πρώτην οὐσιαν θεωρητικοῦ καὶ ἡ περὶ τούτων ἂν εἴη σκέψις. ἔστι δὲ σοφία τις καὶ ἡ Φυσικὴ, ἀλλ' οὐ πρώτη.

s) Assentior hîc Sonero Aristotelicæ Philosophiæ peritissimo in paucis viro, probl. misc. 7. in Philos. Altorf. p. 520. & proleg. in Metaph. Aristot. p. 3. 4. Quædam ejus tantum appono verba: *In vocabulis* ab uno *(qua vulgò malè* analoga *vocantur) reduplicatio non infert communem aliquam naturam, quippe quæ nulla est, sed significatur primum, à quo cætera descendunt. Unde ortum est illud:* Analogum stat pro primo analogato. *Cùm ergò reduplicatur analogum, abstrahitur à secundis analogatis, quatenus illa per additionem sunt aliquid aliud, & quatenus, quicquid illorum, quæ de primo analogato dicuntur, eis competit, per ipsum eis competit. Quamobrem, cùm idem sint* prima substantia, & primum Ens, *itemq;* primum Entis analogatum, & Ens quatenus, ens, *rectè dicitur Metaphysicæ subjectum esse* ens, quatenus ens, *cùm versetur circa* primam substantiam.

Ens quatenus Ens Aristoteli Deus.

§. 16. Unde sequitur, *objectum proprium* Philosophiæ primæ seu *Metaphysicæ* Aristoteli esse *Deum t*) & res divinas.

t) Pro hâc sententiâ vide & *Cæsalpin.* I. Quæst. Perip. 4. *Piccart,* Isag. in Lect. Aristot. c. 23. & 26 p. 141. & 167. & *Dreier.* Disp. Metaph. p. 32 37.

§. 17. Quòd enim Scholastici *ens quatenus ens* in definitione Metaphysices *u*) ex audiverunt de *naturâ quâdam communi à Deo pariter creatisq; rebus abstractâ*, id illis evenit ex ignoratione *x*) doctrinæ Aristotelicæ de communibus ab uno, quale quid etiam est Ens *y*). In quo ultra primum, uti vocant, analogatum abstrahendo procedere, nihil aliud fuit, quàm & ipsam entis analogiam funditùs evertere *z*), & latissimam portam variis circà Metaphysices objectum fluctuationibus, quæ ex ipsà tandem *Lexicon* facerent *Philosophicum*, aperire *a*).

u) In definitione inquam *Metaphysices.* Nam cùm ad universam *Philosophiam* illa verba accommodantur, Conimbricen-

Ens quatenus ens quid Scholasticis?

bricenſes, (de quibus ſuprà lit. c. ad §. 7.) aliam interpretationem comminiſcuntur. *Philoſophia*, inquiunt, *eſt cognitio rerum, ut ſunt. Verba illa*, ut ſunt, *idem valent atq;* per ſuas cauſas, ſi eas habuerint.

x) *Scholaſtici naturam horum vocabulorum* (ab uno) *non obſervantes, & Philoſophiam primam, & omnem penè ſolidam philoſophandi rationem perverterunt*, Dreier. p. 48. Diſp. Metaph.

y) III. (al. IV.) Metaph. 2. ab init. τὸ ὂν λέγεται μὲν πολλαχῶς, ἀλλὰ πρὸς ἓν καὶ μίαν τινὰ φύσιν.

Entis univocatio. apud Scholaſticos unde orta?

z) Abſtractio enim fieri aliter non potuit, niſi relinquendo ſpecierum omnium differentias ſpecificantes. At *Analogia* poſtulat exprimi differentiam ſeu proprietatem analogati nobiliſſimi. Quâ inſuper habitâ non potuit res non devenire ad *univocationem*. Quam ideò hîc defendit tota Scotiſtarum pariter & Nominalium ſecta Vid. Fulgentium Schautheet. lib. V. Controv. Philoſ. 2. artic. 1. p. 186.

1) *De objecto Metaphyſica ſententia*

a) † De *objecto Metaphyſices* variæ ſunt, ſed hæ *quinq;* præcipuæ ſententiæ. Id enim (1.) *Ariſtoteli* eſt Deus, ut oſtenſum hactenus, (2) *Scholaſticis* Ens in genere, Deus in ſpecie (3) *Timplero* In telligibile, quod ambitu ſuo etiam Non ens comprehendit. (4.) *Antonio Mirandulano* Ens & Deus & inferiora Entis cætera omnia, (5.) *Recentioribus* ſolum Ens in genere ſecluſis unà cum Deo inferioribus omnibus. † Jam ſi doctrinam de *Analogis* (ſequar loquendi modum uſitatum) rectè obſerves, patebit *primam opinionem*, debito modo explicatam, tametſi objectum Metaphyſicæ tribuat non dicam ſpecialiſsimum, ſed planè ſingulare, DEUM, *generalitati* tamen hujus diſciplinæ nihil derogare. † Cùm enim ultrà *primum analogatum*, quale in generibus Entium DEUS eſt, evolare abſtrahendo non oporteat, ſed in eo, tanquam ultimo ſit omninò ſiſtendum: eveniet hoc pacto, ut ultimum

mum illud ſimul ſibi ſit, ut ita loquar, *ſpecies* ſimul cæteris analogatis omnibus *inſtar generis*, h. e. inſtar naturæ ſublimioris ampliorisque, cui reliquas ſpecies omnes tanquam inferiores, licet *inæqualiter*, ſubjici, earumque perfectiones ex majori minorive ad primum illud acceſſu æſtimari conveniat, † Hoc nimirum eſt, quod dicitur, in *analogis* dari magis minus, h. e. *inæqualitatem*, cùm è contrario ſpecies *univoci* generis communem naturam *ex æquo* hauriant omnes. (4

† Atque ſic intelligis, Metaphyſicam in ſummâ ſui *ſimplicitate*, & abſque ullâ diviſione in diſtinctas partes duas, *ſimul ſpecialem* eſſe diſciplinam ac particularem, *ſimul generalem* atque univerſalem generalitate quidem tali, qualem analogia poſtulat: neque aliud voluit Ariſtoteles iis locis, quos dedimus lit. *r.* ad §. 15. (5

† Doctrinæ hujus ignoratione *Scholaſtici* cùm à primo analogato pariter & cæteris entis ſpeciebus naturam communem ſeparaviſſent, in eoque crederent ſe germanos eſſe Ariſtotelis diſcipulos, & eidem Magiſtro ſe obſequentes porrò præbere vellent in eo quoque, ut Metaphyſicam darent, quæ & de Ente abſtractiſſimo in genere, & de Deo in ſpecie ageret: coacti ſunt eam *ſcindere in partes*, ipſorum confeſſione diſtinctiſſimas, *generalem* de Ente *ſpecialem* de Deo. (6 *Scholaſticorum*

† Ita duas ipſorum licebit animadvertere ἀπαιδευσίας non leves. *Unam* quòd à nobiliſſimo analogato aſcenderunt in aliquid, quod eſſet nobiliſſimo nobilius, primo prius, ſupremo ſuperius, atque hoc putaverunt eſſe Ens à Deo & creaturis abſtractum. *Alteram*. quòd, poſito, Deum ab ente differre ut inferius à ſuperiore; Metaphyſicam verò eſſe ſcientiarum ſupremam, quæ ab inferioribus omnibus haberet partes ſeparatas: in eâ nihilominùs deſcenderunt iterum ad aliquid Ente inferius, h. e. Deum, omiſſis ſpeciebus cæteris. 7)

† Ab uroque lapſu ſecurus eſt, (8

qui fines analogati nobiliſſimi non tranſcendens idem eſſe dicit primum ſeu abſtractiſſimum ens, & Deum. Sic enim nec locus erit aſcenſui ultrà Deum, nec deſcenſui à primo ente in Deum. Neque diſtrahetur Metaphyſica in partem communem & propriam, ſed communis eadem erit & propria. † Nunc videamus, quemadmodùm illa Scholaſticorum duplex ἀπαιδευσία occaſionem aliis dederit rerum in objecto Metaphyſico porrò turbandarum. Cùm enim à Deo & creaturis abſtraxiſſent Scholaſtici, *Timplerus* majore cum audaciâ ſecutus exemplum abſtraxit ab *Ente* quoquc & *Non-ente* naturam communem, eamque titulo *Intelligibilis* Metaphyſicæ ſuppoſuit pro objecto. Sic *aſcenſus* aſcenſum peperit. † Ex aliâ parte *deſcenſui* cùm portam ſemel aperuiſſent Scholaſtici, *Antonius Mirandulanus* nullum fecit deſcendendi finem, donec aliquid de ſpeciebus Entis ſupereſſet. Quô pactô ex *Metaphyſica* fecit *omnium ſcientiarum congeriem*. Et omninò conſentaneum videbatur, ut Metaphyſica, ſi ad unam ſe demitteret Entis ſpeciem, eodem jure progrederetur ad reliquas omnes. † Quanquam enim crediderunt Scholaſtici, *abſtractionis* beneficio, quæ à materiâ fieret *ſecundùm rem & rationem*, Deum ſic poſſe cum illâ entis naturâ communi conglutinari, ut divulſæ manerent entium formæ reliquæ: tamen, ubi obſervari cœpit, quod nec ipſi negaverunt Scholaſtici, alio âbſtractionis genere (*ſecundum eſſentiam*) à materiâ Deum abjungi, alio (*ſecundum indifferentiam*) Entis illum conceptum communem: illud etiam gluten diſſilire viſum eſt † Itaque fuit è duobus alterum denique neceſſarium, ut vel nullam Entis ſpeciem inexplicatam præteriret Metaphyſica, vel ab omnibus æqualiter abſtineret. † Prius Antonio placuit Mirandulano, de quo jam

9) *Timpleri;*

10) *Anton. Mirandulani.*

11)

12)

13)

jam dictum eſt. Poſterius approbatur à *recentioribus* ferè, qui Metaphyſicæ non minùs interdicunt deſcenſu ad Deum & Intelligentias, quàm ad ſubſtantias corporeas. † Neque verò potuit hujus cauſæ ad extremum alius eſſe eventus, quàm ut, cùm fuiſſent initiò, qui Ens à Deo abſtraherent, ſurgerent alii tandem, qui viciſſim abſtraherent ſcientiam de Deo à ſcientiâ de ente, h. e. ab *Ontologiâ* (nam & hoc nomen inventum eſt,) *Pnevmaticam*, quæ aliis eſt *Theologia naturalis*. Ita quæ Ariſtoteli olim fuit *una* diſciplina, generalis eadem & ſpecialis, noſtro ævo diſſiliit in *duas*, generalem unam, ſpecialem alteram. † Verùm hanc divulſionem qui ſuſceperunt, in hâc anatome cultro videntur uſi minùs acuto. Neque enim omnem partem ſpecialem reſciderunt, ſed in hâc ipsâ tantum reliquére, quantum ſufficere ad inferioribus diſciplinis partienda ſua penſa exiſtimarent. Nimirum volebant Metaphyſicam non modò communem entis naturam ſpeculari, ſed reliquis etiam ſcientiis diſtribuere ſua objecta. Ergò cum parte *generali* totâ retinuerunt ex *ſpeciali* præliminarem quaſi doctrinam illam, quæ cùm *ſubſtantiæ* tùm *accidentium* naturas exponit: ſed eâ lege, ut, ubi primùm Pnevmaticæ, Phyſicæ, Mathematicarum artium, Practicæ Philoſophiæ objecta prominere ſummis quaſi capitibus inciperent, ibi pauſa eſſet. † Sed hoc pacto redit illa difficultas, quæ Scholaſticos etiam premebat. Cur enim, ſi ad aliquas ſpecies Metaphyſica deſcendit, non eodem jure progreditur ad omnes? † Ad hæc vix eſt, ut Metaphyſicam hanc ſuam bonâ fide definire poſſint ſcientiam Entis, *quatenus ens eſt*, ſi maximè illis aſſentiaris, ut Entis vocabulo communiſſimum illum, Deo juxta & creaturis ſuperiorem, conceptum intelligant. Quis enim divinare poteſt, hâc phraſi *ens quatenus ens*, notari præter communem entis conceptum, aliquos etiam

Recentiorum.

14)

15)

16)

17)

specialiores, nec omnes tamen, sed illos duntaxat, quos ipsi
18) habent in animo? † Hæc illa est objectio, quam aliàs Stahlius f. 34. & seqq. Discurs. in Tab. Metaph. torquet in Scholasticos, lacerto tàm valido, ut concludat tandem: *Ens quatenus ens objectum quidem esse Metaphysicæ, sed non adæquatum*, puta, quia qui sic loquitur, non nisi illa significet, quæ Enti in suâ latitudine conveniunt, inque generali Metaphysices parte absol-
19) vuntur. † Medicinam huic febri faciat fortasse, qui substantiam & accidens, & quicquid in parte speciali relectâ Pneumaticâ culter anatomicus neglexerat, *disjunctæ affectionis* titulo, vel modorum entis qualiumcunque, *generali* Metaphysicæ transcribat. Si enim affectio disjuncta est, cùm distinguo inter Ens *à se* & *ab alio*: cur non item, cùm divido inter Ens *in se* & *in alio*, hoc est inter Substantiam & Accidens? Si Ens *finitum* & *infinitum*, *creatum* & *increatum*, quæ duo maximè distant, Species Entis non faciunt, sed affectionem disjunctam: cur de *Accidente* & *Substantiâ*, quæ longè minoribus intervallis dissepta sunt, non idem valeat? præsertim cum multi disputent, decem prædicamenta non nisi finitorum entium esse classes. † Verùm hâc nihil ampliùs tamen credo efficietur, quàm ut illa talis Metaphysica commodiùs maneat id quod est, putà *Lexicon Philophicum* terminorum communissimorum, *in justæ scientiæ figuram elaboratum*. † Neque aliud esset eâ
20) de re, opinor, judicium Aristotelis. Cùm enim Terminorum istiusmodi Catalogus maximam partem depromptus sit è lib. V & X. Metaphysicorum: ostendi potest, duos illos libros ad primæ Philosophiæ necessaria tantùm præcognita, non adipsam πραγματείαν eum voluisse pertinere. Id quod solertissimè observavit, alios ut omittam, Sam. Petitus lib. IV. Miscell c. 9. p. 37. Qui & in eo capite accuratè confirmat, duos

Metaphysica Aristotelis in Lexicon Philosophicum transformatio.

20)

duos, quos dixi, libros, cæteris omnibus priùs à Philosopho scriptos fuisse, ordine verò librorum Operis Metaphysici ruti nos in hunc usque diem immaniter perturbato. † Ex iis, (22
quæ dicta sunt hactenus, jam intelligis, quemadmodùm paulatim Aristotelis Metaphysica, seu Philosophia prima, vel Theologia transierit in Lexicon Philosophicum, ex errore quidem circà doctrinam analogorum commisso: sed qui tamen adeò feliciter cecidit, ut nesciam an illius Lexici, quo quidem carere nemo potest, qui ad eruditionem minimè superficiariam in quovis doctrinæ genere adspiret, forma sit nobis optanda melior. † Quare, quæ disputata sunt hîc à nobis, nolim in eam partem accipi, atque si consvetas disciplinarum rationes mutatas cupiam. Neq; enim id ago in hoc (13
scribendi genere, quod circà historiam Philosophicam occupatum esse maximè volo. Potest autem & ille, qui veteres indagat historias, moribus tamen præsentibus vivere. Non placent mihi novationes. Sed nec displicuit unquam Antiquitatis notitia. Quam ita mihi servo, ut ad ingenium seculi me componam interim in iis, quæ & ferri possunt absque noxâ capitali, mutari non possunt absque convulsione literarii statûs.

§. 18. Cautior hâc parte fuit Aristoteles, cautiores Plato & Pythagoras. Hi omnes à DEO, rebusque cæteris sive, ut eorum phrasi loquar, ab *intelligibilibus*, & *sensibilibus*, adeò non abstraxerunt, ut sive DEUM *ens* facerent, vocabulum Entis, saltem simpliciter dicti, cæteris rebus abjudicarent; sive has titulo entium dignarentur, DEUM non *ens*, verùm aliquid *Ente longè majus* atque augustius, esse decernerent *b*).

b) *DEUM non esse ens, sed super ens*, Philosophiam Dionysii vocat Jan. Cœcilius Frey in Mentep. 16. Ex Platonicâ eam (ut alia de quibus infrà §. 52. lit. *d*. n. 32.) haustam, docebunt Eustrat.

DEUS non Ens, sed super ens.

ſtrat. ad I. Nicom. 6. f. m. 17. & Picº Mirand. l. de Ente & uno c. 1. & 4. f. 160. 162. Qui eandem Ariſtoteli quoque imputat, eò quòd illi DEUS exulet è decem Categoriis. Unde non erat, cur hinc vel Ariſtotelem planè diſtraheret à Platone Patricius f. 316. 317. Diſcuſſ. (quanquam ſcio, non ubique illis convenire.) vel invidiam inſuper ei conflaret Caroſus Bumannus p. 189. hypomn. Logic. quaſi cui DEUS & Angeli *nihil* ſint. Plura de hâc loquendi formulâ ſuggerent *Fonſeca* ad IV. Metaph. 2. q. 3. Sect. 2. p. 740. *Raynaud.* Theol. Natur. Diſt. 6. n. 3. p. 560. & Diſt. 8. n. 2. p. 779. *Scalig.* Exerc. 365. Sect. 6. p. 1072. Cui dubitò, an rectè contradixerit acutiſſimus Stahlius f. 39. Diſcurſ. ad Tab. Metaph. ob ambiguitatem in vocabulo *Entis*, obſervatam & Scheiblero c. 4. Intro. Log. n. 13. p. 110. & I. Metaph. 2. n. 2. p. 35. Quo facient illa quoque, quæ de homonymiâ *non entis* tradit Pachymer. lib. II. Epit. in Ariſtot. tit. 1. c. 1. f. m. 75.

§. 19. Quæ ut laudanda venit modeſtia, ſic non diſſimulandum hoc loco, quòd divinarum rerũ ambitu *Intelligentias* quoque concluſerint, ſeu naturas angelicas, ut quas ex ipsâ divinâ eſſentiâ effuſas quasdam propagines eſſe crederent *c*): cùm certum contrà ſit nobis, angelos non minùs atq; viſibiles ſubſtantias ex nihilo fuiſſe productos: ut ipſi adeò juxtà cum cæteris creaturis abſcindi à DEO, nec in eandem ſcientiam cum eo conjungi debuerint *d*).

Creatio ex nihilo Gentilibus negata.

c) πρῶτον ψεῦδος Gentilium hîc fuit, quòd perſvaſi erant, non poſſe ex ſimpliciter nihilo quicquam fieri. Hæc erat una de cauſis (alteram dabimus infrà §. 37. lit. *r*. 4.) cur DEO coæternam, & ab ipſo improductam, apponerent materiam. Vide Lipſ. II. Phyſ. Stoic. diſſ. 2. p. m. 58. *Nam illud Democriti*, inquit, *effatum omnes receperunt*: μηδὲν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος γίνεσθαι, μηδὲ εἰς τὸ μὴ ὂν φθείρεσθαι. Gentilium errorem poſteà ſecuti ſunt Manichæi, contrà quos ſcribens Auguſtinus: *Non debemus, inquit, eſſe ſimiles iſtis, qui omnipotentem Deum non credant aliquid de nihilo facere potuiſſe*, lib. I. de Gen. contrà Man. c. 6. Tom. I. Op. f. 811. Jam poſito, non poſſe ex nihilo quicquam fieri, ſequebatur Intelligentias quoque non eſſe ex nihilo creatas. Quæ omninò fuit communis Gentilium perſvaſio. Quod de Intelligentiis dictum eſt, ad animas quoque humanas pertinet. Verùm in eo ſciſſi ſunt, quòd animas alii ex Dei, alii ex Materiæ ſinu & ſubſtantiâ educerent. Atque illi ferè immortales easdem faciebant, hi mortales.

Angeli Gentilibus non ex nihilo creati.

d) Debebat ergò Chriſtianorum Philoſophia divellere ſcientiam de Angelis à Theologiâ naturali. Nam, ut pro hâc ſententiâ diſſerentis Pererii lib. I. Phyſ. c. 7. verba mea faciam, *major eſt diſtantia & diverſitas inter Deum & Intelligentias, quàm inter has & res naturales, ſiquidem major eſt diſtantia inter finitum & infinitum, quàm inter duo finita.* Quod ſecus factum vulgò videmus, haud aliunde eſt, quàm ex amore gentilis philoſophiæ conjuncto cum ignorantiâ principii, ex quo hæc talia profluxerunt.

De Deo & Angelis nõ agendum in eadem ſcientiâ.

§. 20. Sed nimirùm publicus iſte fuit error paganicæ nationis. In quâ tamen Ariſtoteli cum Platone de *Ideis* ſeu *univerſalibus naturis* parum fuit concordiæ, quas ab illo τοῖς ὄντως ὄσιν annumeratas *e*), à rebusque caducis penitùs avulſas ipſe aut planè ſuſtulit, aut ex mundo intelligibili deduxit ad ſenſibilem, cumque mortalibus immortalia copulavit.

e) Philoponus Comment. ad I. Nicomachi Geraſeni Arithm. (quem ex Bibliothecâ ſummi Viri Thomæ Reineſii inſpicere nobis licuit manuſcriptum,) tmem. 41. de numero ideali: τοῦτο δὲ πλατωνικόν, τὸ ὄντως οὐσίαν καλεῖν αὐτόν.

§. 21. Quo factum eſt porrò, ut ex ſenſibilibus etiam, beneficio vide licet immerſorum illis univerſalium *Scientiam* hauriri

riri posse traderet Aristoteles: è quibus Plato contrà ut expertibus Idearum nihil credebat excitari posse præter *Opinionem*, h. e. notitiam à scientiâ tanto intervallo sejunctam, quantum est inter τὰ ὄντως & γιγνόμενα *f*).

1) 2) *Idea Platonis.*

f) † In hoc Platoni Aristoteles consentiebat, quòd *Scientia* nisi *æternorum* esse non posset. † Dissidebant de principio scientiæ rerum naturalium. Quod Plato Ideas separatas, Aristoteles immersa rebus sensibilibus universalia quædam æterna faciebat, Ideas illas planè abnegans, deque rerum naturâ tollens, sicut viciſſim Plato illa rebus caducis implicita æterna merum esse somnium dixisset. † Cæterum hinc est, quòd Patricius Discuss. f. 3. 17. sub fin. & Theupolus IX. Acad. contempl. 10. p. 352. Aristotelem ex Platonis hypothesi metientes asserunt, *Platonicam opinionem esse Aristotelicam scientiam*, indignam quæ habeatur inter partes Philosophiæ. † Quibus obiter hoc loco illud respondisse sufficerit: laudandum esse, hactenus quidem certè, institutum Aristotelis, quòd noluerit cum Platone ἀσεβατεῖν, sed humano se pede metiens, ordiri voluerit scientiam à sensu, qualem cunque sic futuram, minus utique habituram periculi, quàm cui Platonem inducerent ἐνθουσιασταὶ, & à corpore nescio quæ mentis in mundum idealem conversiones, ludibriis malignorum Spirituum opportunissimæ. Quæ plura esse dixerim in uno Platonis Timæo, quàm in Aristotelis operibus universis.

3) *Aristoteles contra Patricium & Theupolum defensus.*

§. 22. Enim verò τοῖς αἰσθητοῖς Plato dedit *opinionem* seu δόξαν, contrà τοῖς νοητοῖς *scientiam*, *sapientiam*, *intelligentiam*, ἐπιστήμην, σοφίαν, νόησιν *g*). Quæ omnia, quoties nominantur contrà δοξαν, idem sonant *h*).

g) Plato VII. de Rep. f. 705. δόξαν μὲν περὶ γένεσιν, νόησιν δὲ περὶ οὐσίαν. Alcinous c. 7. Isagog. p. 472. ed. Heinsc. cum Max. Tyr. δόξαν μὲν τῶν σωμάτων φησὶν ἐπιστήμην δὲ τῶν πρώτων (νοητῶν.)

h) Vid. Patric. Discuss. f. 317. lin. 8. Marsil. Ficin. argum. in Euthydem. f. 188. Theupol. IX. Acad. contempl. 10. & 12. p. 350. 359.

§. 23. Quare & φιλόσοφον opponit Plato φιλοδόξῳ *i*), & Philosophiam veram, puta Metaphysicam suam, definit ψυχῆς περιαγωγὴν, ἐκ νυκτερινῆς ἡμέρας εἰς ἀληθινὴν ἔ ὄντος ἰόσης ἐπάνοδον *k*).

i) V. de Rep. in fin. f. 670.

k) VII. de Rep. f. 696. φιλοσόφους ἀληθινὲς lib. V. f. 667. definit τὲς τῆς ἀληθείας φιλοθεάμονας. Et iterum lib. VII. f. 699. φιλοσόφῳ ait (ἀναγκαῖον μαθεῖν ταῦτα) διὰ τὸ τῆς οὐσίας ἄπειρον εἶναι, γενέσεως ἐξαναδυντι. Alcinous quoque c. 1. Isag. hanc profert Philosophiæ definitionem Platonicam περιαγωγὴ ψυχῆς ἀπὸ σώματος ἐπὶ τὰ νοητὰ ἡμῶν τεθεωρημένων καὶ τὰ καλ ἀληθειαν ὄντα.

§. 24. Etiam γνῶσιν ait ἔ ὄντος, quod scilicet opponatur τῷ γιγνομένῳ, h. e. αἰσθητῷ, esse *l*) planè ut Pythagoras σοφίαν faciebat τῶν ὄντων γνῶσιν. Atque hoc alterum est, quod in eâ definitione excutiendum proponebamus de ΓΝΩΣΕΙ

l) VII. de Rep. f. 700. τῆς ἔ ἀεὶ ὄντος γνώσεως, ἀλλ' ἤ τῦ ποτέ τι γιγνομένυ καὶ ἀπολλυμένυ. Sic Porphyrius Platonicus parte II. sentent. p. m. 237. virtutem animi post conversionem ad Deum consistere ait ἐν γνώσει καὶ εἰδήσει τῦ ὄντος.

§. 25. Quæ Philosophis illis erat notitia non qualiscunque, sed eximia, nec rerum quarumlibet, sed màximè honorabilium, h. e. divinarũ, planè ut ἐπιστήμη & σοφία, & cum quâ ejusdem est originationis, νόησις. Itaque oppositajam etiam sunt Platoni γνῶσις & δόξα. γιγνώσκειν & δοξάζειν, γνωστὸν & δοξαστόν *m*).

m) V. de Rep. f. 667. E. F. f. 668. A. (quo è loco etiam clarum est, γνῶσιν & ἐπιστήμην illi esse synonyma) E. F. f. 669. A. E. edit. græcolat. Francof. A. 1612.

§. 26. Enim verò nulla notitia comparari potest illi, quæ

DEUM nobis, resque divinas patefacit. Quæ si *vera* est, longè justi is meretur laudem τέχνης τεχνῶν καὶ ἐπιστήμης ἐπιστημῶν, quam Dialectica *n*), sin *falsa*, miserabilis est hallucinatio, quæ non minùs ad interitum, quàm vera ad salutem ducat.

n) Posteaquam Petrus Hispanus initio summularum, quas è Psello Synopseos Organi scriptore mutuatus est ferè, Dialecticam salutavit *artem artium, scientiam scientiarum*: catervatim secuti sunt eum Scholastici plurimi. Atqui vetustiores ornabant hoc elogio Philosophiam, quã decet hîc etiam interpretari Theologiam, seu stylo Aristotelis Metaphysicam, Platonis Dialecticam, (respice suprà §. 7. lit. d.) Hànc Dialecticam principalem cum alterâ illâ instrumentali confuderunt Psellus, Petrus Hispanus, alii. B. Lutherus elogium hoc ad veram de DEO ac salutarem notitiam retraxit in cap. 14. Joh. v. 6. Tom. VII. oper. Germ. Jen. f. 57: für GOtt die höheste Weißheit und Kunst über alle Künst und Weißheit / daß man diesen Christum recht kenne. Idem facit Gisb. Voet. c. 11. de Exerc. piet. p. 336. Mysticam Theologiam Carolus Hersentius omnium artium & scientiarum fastigium vocat, præf. apologeticâ in ejus obtrectatores ẽ. 1.

§. 27. Religiosam de Deo notitiam sacræ quoque literæ Novi Testamenti γνῶσιν vocant passim. Τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ Apostolo *o*) *naturalis* illa *Theologia* est, in quam ex visibilium Dei operum contemplatione assurgere potuerunt etiam Gentiles. Idem alibi *p*) γνώσεως vocabulo ad Theologiam revelatam respicit. De quâ & Salvator *q*): *Hæc*, inquit, *est vita æterna, ut cognoscant* (γινώσκωσι) *te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.*

o) Rom. 1, 19.

p) 1. Cor. 12, 8. c. 13. Philipp. 3, 8. Coloss. 2, 3. ubi quidem de Ipsius Christi sapientiâ & γνῶσει sermo est.

q) Joh. 17. 3.

§. 28.

§. 28. Vera nimirum & beatifica hæc γνῶσις est. Ad falsam & animabus pestilentem illa pertinet haud dubiè, à quâ divinatorum quoddam invisum Deo genus in septuaginta virali veteris instrumenti versione nominantur γνώσται *r*). De falsâ quoque Paulus *s*) perspicuè loquitur in Novo Testamento, cùm Timotheum jubet vitare τὰς βεβήλους κενοφωνίας, καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως.

r) 1. Sam. 8. v. 9. In fontibus ii sunt ידעני *Astrologos*, (qui scil. vetitam ex astris divinationem exercerent,) interpretatur Fullerus I. Miscell. Sacr. 16. p. 104. quippe, qui suam artem ambitiosiùs ostentando usque adeò profecerint, ut ipsi soli clarissimo *Mathematicorum* nomine salutarentur, quasi ipsi soli possent μαθάνειν, (quod idem valet atque ידע apud Hebræos, unde ידעוני) id est, *intelligere* ac percipere abstrusissima quæque. Dn. Josua Arndius c. 4. de superstit. n. 17. p. 109. 110. horum artem refert ad *divinationes, magiam & idolatriam*, cujus ritum Hebræi sic describant, *Avum, quæ dicitur* ידוע, *mactabant, ossiculum ori impositum gestabant, fumigabant, circum acto corpore cadentes in terram fundebant oracula.* Vid. & Gilb. Gaulmin. l. I. not. ad lib. de Vitâ & Morte Mosis c. 13. Quicunque fuerint hi ידעני, certum est γνῶσιν eorum fuisse ex curiositatibus à Deo prohibitis. Unde in sacris perpetuos comites habent τὰς ἐγκαταλεμμύθους.

s) 1. Tim. 6. v. 20.

§. 29. Hæc primariò in hæresin certam dici, quæ jam tùm caput exeruerit, textus haud obscuris indiciis prodit *t*).

t) Integer textus hic est: Ω Τιμόθεε, τὴν παραθήκην φύλαξον, ἐκτρεπόμενος τὰς βεβήλους κενοφωνίας, καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, ἣν τινες ἐπαγγελλόμενοι περὶ τὴν πίστιν ἠστόχησαν. Ecce in præterito loquitur de certis hominibus, qui falsam illam scientiam magnificis promissis jactantes fide exciderint. In

secundâ ad Timotheum locus alter est, præsenti adeò gemellus, ut quædam etiam verba retineat, sed eodem clarior, quòd ex hæreticis illis nominatim etiam duos designet, Hymenæum & Philetum, c. 2. v. 16. seqq. τὰς δὲ βεβήλους κενοφωνίας περίιστασο· ἐπὶ πλεῖον γὰρ προκόψουσιν ἀσεβείας, καὶ ὁ λόγος αὐτῶν ὡς γάγγραινα νομὴν ἕξει· ὧν ἐστιν Ὑμέναιος καὶ Φιλητᾶς. Non dubium ergò, quin & prioris Epistolæ verba certos illius temporis hæreticos depingant. Itaque Theodoretus præf. in lib. II. hæret. fab. cùm hunc ipsum locum post alios protulisset, statim subjungit: *Hæc quidem apertè indicant, quòd eis* (Apostolis) *adhuc prædicantibus exorti sunt multi execrandarum hæreseon autores.* Mox locos hujusmodi distinguit ab eo 1. Tim. 4. v. 1. 2. 3. quod Paulus prædicat vana dogmata post excessum suum oritura.

§. 30. Eam verò *Simonis Magi ac sectatorum* ejus fuisse non modò autoritas Irenæi *u*), & Theodoreti *x*) svadet: verùm illud etiam, quòd post Epiphaniũ *y*) est à Nicetâ Choniate *z*) proditum, Simonem impurissimam suam mystagogiam γνώσεως nomine venditâsse.

u) Qui haud dubiè ad locum Pauli respexit in his lib. I. c. 20. in fine: *à Principe impiissimæ sententiæ Simone dicti Simoniani, à quibus* falsi nominis scientia *accepit initia.*

x) Qui in hunc Pauli locum ita commentatur, Tom. II. oper. f. m. 222. *Qui à Simone processerunt, appellati sunt* γνωστικοὶ *quasi dicas, cognitione aut scientiâ præditi. Quæ enim scriptura divina tacuit, ea Deum sibi dicit revelâsse: sunt autem plena omnia impietate, & petulantiâ ac libidine. Jure ergò eam vocavit* falsò nominatam scientiam, *ut quæ ignorationis habeat caliginem, non autem lucem divinæ cognitionis.* Putavit Theodoretus, etiam primos statim Simonis discipulos, qui Pauli hæc scribentis tempora tetigerunt, *Gnosticos* fuisse appellatos. Nam, quod alii scribunt, hoc nomen sub Aniceto demùm sectæ esse cœpisse, ut §. seq. docebimus, de eo

de eo Theodoretus in hæreticis fabulis ἐδὲ γεύ. Apud quem ibi ne nomen quidem Gnosticorum invenias, (quod & Danæus ad c. 6. Aug. de hæres. p. 19: observavit,) nisi ubi de Prodico agens locum Clementis Alexandrini quendam, (quod fugisse Danæum videtur,) describit. Vide infrà lit. f. ad §. 43. Causam exposui. quia credidit, se dum sub Simone Simonianos nominat, Gnosticos simul indicâsse. Ergò Gnosticos, de quibus Paulum exponit, vult vivo Apostolo jam exstitisse. Quò faciunt & ea, quæ ad §. præced. ex Theodoreto attulimus. Quem movere potuit tùm Chrysostomus, de quo infrà initio lit. *d.* ad §. 32. tùm etiam locus Epiphanii non satis intellectus, jam jam producendus pariter & exponendus.

y) Hæres. 21. f. 27. ed. lat. Basil. A. 1545. de Simone: *Mysteria verò proponebat turpitudinis fluxusq; corporum, atque hæc esse mysteria vitæ, cognitionisq; perfectissimæ,* γνώσεως τῆς τελειοτάτης.) Sequitur paulò pòst: *Et sic incipit Gnosticorum appellatorum principium:* καὶ ἔντως ἄρχεται τῶν γνωστικῶν καλουμένων ἡ ἀρχή. Vult, ab hoc initiò cœpisse, non nomen Gnosticorum, repugnat enim locus Epiphanii ad §. seq. lit. b. designandus: sed eorum, qui sic appellati fuerint, doctrinam. Ut adeò nihil hîc aliud voluerit Epiphanius, quàm quod Irenæus paulò ante lit *u.* quem & præ oculis videtur habuisse. Sic eum intellexit & Nicetas, cujus verba jàm sequuntur. *Simonis Magi γνῶσις.*

z) Lib. IV. thesaur. orth. fid. c. 1. p. 243. ed. lat. Petri Morellis: *Atq; hujusmodi* τελεταγωγίαν *seu initiationem impurissimam,* γνώσεως, *h. e. scientiæ cognitionisq; nomine homo impurissimus insigniebat. Unde Gnosticorum etiam hæreticorum hæresis suppullulavit.*

§. 31. A Simone per Menandrum, Basilidem, Nicolaum Carpocratem, Valentinum *a*) propagata est illa γνῶσις ad eos usq; hæreticos, qui dissimulatis progenitoribus suis maluerunt sibi ab eximiâ scilicet rerum divinarum intelligentiâ

nomen arrogare *Gnosticorum*. Quod Epiphanius *b*) tradit primò factum temporibus Aniceti Romani Episcopi, h.e. altero post Christum natum seculo *c*).

Gnostici à quibus oriundi.

a) Hos omnes, tanquam Gnosticorum fatores eodem commate memorat Epiphanius hæres. 27. f. 48. Atque sic ipse conciliabitur non sibi modò hær. 21. 25. 26. 31. f. 27. 36. 38. 77. sed aliis etiam, qui in deducendis hujus sectæ natalibus variant: *Irenæo* puta lib. I. c. 24. & III. 4. *Eusebio* IV. hist. Eccl. 7. & Chron. ad ann. 136. *Hieronymo* c. 21. de script. Eccl. & ad Ctesiph. adv. Pelag. Tom. III. oper, f. m. 115. *Philastrio* de hæret. c. 28. sub Nicolao, *Augustino* c. 6. de hæres. *Nicetæ* lib. IV. thes. orth. fid. c. 1. & 2. p. 243. 249. Vid. & Cramer. Hæreseolog. Class. IV. c. 12. p. 172. De Gnosticis ex Scholâ Prodici oriundis infrà §. 43. lit. f. Quicunque tàm pestilentes surculos emiserunt, in Simone certè, tanquam communi stirpe coeunt. Et hoc voluerunt Epiphanius & Nicetas lit. y. z. ad §. præcet. citati.

b) hæres. 27. f. 52. ed Græc (Latin. f. 51.) ἐν χρόνοις τούτου Ανικήτα ἡ προδεδηλωμένη Μαρκελλίνα ἐν Ρώμῃ γενομένη, τὴν λύμην τῆς Καρποκράτους διδασκαλίας ἐξεμέσασα, πολλοὺς τῶν ἐκεῖσε λυμηναμένη ἐφάνισε, καὶ ἔνθεν γέγονεν ἡ ἀρχὴ Γνωστικῶν τῶν καλουμένων. Conf. Irenæum lib. I. c. 24. propè fin.

Quando sic appellati?

c) Vide Bellarmin. Chronol. p. 41. Eusebius in Chronicis eos ponit sub A. 136. Calvisius sub 118. post *natum* Christum. Danæus ad c. 6. Aug. de hæres. p. 20. sub. 29. à Christo *passo*.

§. 32. Unde, qui ψευδώνυμον illam γνῶσιν *directè* interpretantur de *Gnosticis d*), nisi Gnosticorum nomine cum Theodoreto *e*) intelligant, quicquid Simonianæ prosapiæ Apostolum ventem attigit, eos refellit ratio temporum *d*).

1) *De iis locis 1. Tim. 6. exponunt Chrysostomus.*

d) † Facit hoc, sed trepidè Chrysostomus, homil. 18. in I. ad Tomoth. Tom. VI. Op. f. 531. edit. Lutet. A. 1633. ad verba τῆς ψευδωνύμου γνώσεως inter alia sic commentans: ἢ τάχα τοῦτο

τοῦτο φησὶ. διὸπερ τινὲς ἑαυτοὺς ἐκάλουν τότε Γνωστικούς, ὡς πλέον τι τῶν ἄλλων εἰδότες. *Aut FORTASSE hoc ait, quia TUNC se ipsos quidam appellabant Gnosticos, ut qui aliis amplius quiddam scirent.* Ita vertendum: nam Interpres & mutilum sensum, & satis obscurum exhibet. Videsne interim omninò & Chrysostomum hæc verba de Apostolici ævi certis hæreticis accepisse, quos putavit, se jam illo ipso tempore appellitâsse Gnosticos. Sed dubitandi adverbium τάχα demonstrat, huic opinioni, quam postremam posuimus, non satis esse confisum S. Patrem † Similis modestia Camerarii ad h. l. p. m. 146. *Certam etiam sectam*, inquid, *notari h. l. ab Apostolo SUSPICOR* τῶν γνωστικῶν καλουμένων, *qui de Nicolaitis pullulasse perhibentur, ostentantes singularem occultarum rerum cognitionem.* † Antonius Fayus ita commentatur ad h. l. p. 323. *VIDENTUR hîc ab Apostolo significari sectæ quædam illorum, qui posteà exorti appellati sunt Gnostici ab opinione scientiæ. Nam malum serpit & amplificatur magis ac magis. Sub illa tempora erant tantùm initia morbi, qui erupit sub Antonino Pio.* † Modestus initiò & Grotius fuit ad c. 24. Matthæi. Nam ibi f. 403. de Carpocrate loquens, qui Gnosticorum princeps credebatur, cùm memoravisset, quemadmodùm ille ad ἀιῶνας suos transtulerit omnem Theologiam Orphei, Hesiodi, & Pythagoræ: *Et hæc*, inquit, *est, NIFALLOR, illa* ψευδώνυμος γνῶσις, *cujus ad Timotheum Paulus meminit.* † Sed posteà majore cum fiduciâ ad hunc ipsum Pauli locum commentans, ita scribit: *Vides hîc, quàm vetus nomen Gnosticorum, quod isti Philosophi Christianis cœtibus se admiscentes sibi indebant.* Putabat evinci ex hoc textu Pauli posse, jam ipsius ævo nomen fuisse Gnosticorum. Atqui Paulus non γνωστικὰς memoraverat, sed γνῶσιν. Sequitur ergò, fuisse tùm hæreticos, qui falsò γνῶσιν jactarent; non sequitur statim, fuisse: qui nomen quasi proprium inde sibi sumerent. † Majore cum apparatu de Gnosticis Paulum interpretatur Hein-

(2 *Camerarius.*

(3 *Fayus.*

(4 *Grotius.*

(5

(6 *Hammond.*

Henricus Hammondus Dissert. proœmiali præmissâ dissertationibus quatuor de Jur. Episc. p. 5. & 17. Qui & p. 22. multa commata Instrumenti Novi à Gnosticorum dictis factisque lucem plurimam acceptura esse profitetur. † Verùm id agit eo scripto (ubi lege p. 36.) ut persvadeat, ipsum illum celeberrimum *Antichristum* in Simone & Gnosticorum colluvie reperiendum esse. In quo nec ipsi nec Hugoni Grotio assentimur. † Ne in eo quidem, quòd p. 22. in *Epistolâ Barnabæ*, nisi de Gnosticis explicetur, certissimam Lectori crucem paratam esse innuit. In quo probando planè operam ludit. † *Prior illius Epistolæ pars* Theoretica est, merisque scripturæ V. T. expositionibus pugnat contra *Judæos*. Gnosticos, qui perinde ut Simon, Veteri Testamento parum, plùs novo tribuebant, (Epiphan. 21. & 26. f. 27. 41.) ex Novo potiùs aggressus esset illius Epistolæ, quicunque fuit, scriptor, si sapuit. † Quis autem credat, cùm p. 25. 26. edit. CL. Maderi dictum *Psalmi* 1. *v.* 3. 4. interpretaretur, si Gnosticos præcipuè petebat, temperaturum fuisse à zelo? cùm eodem dicto sceleratissimè abusos fuisse Gnosticos ex Epiphan. f. 42. aliisque constet. † Nec excipere poterit Hammondus, forte verba divini Psaltæ post Barnabæ demùm tempora torqueri cœpisse à Gnosticis. Ipse enim, nullâ temporum distinctione, quicquid uspiam est de Gnosticis proditum, ad Apostolicum ævum per vim trahit. † *Alteram Epistolæ partem* Practicam inchoat Barnabas à μεταβάσει ἀπὶ ἑτέραν γνῶσιν. Duplex ergò genus γνώσεως proponit, fateor: sed *Theoreticum* unum, cui p. 3. & 42. copulat σοφίαν, σύνεσιν, ἐπιστήμην: *Practicum* alterum, bonum utrumque, non alterum malum, ut vult Hammondus. † Qui *duas* γνώσεις confundit cum *duabus* apud Barnabam *viis* practicis, unâ lucis, alterâ tenebrarum: à quâ distinctione alteram illam & practicam γνῶσιν inchoat ille scriptor. Verba enim

7) 8) *Cujus judicium de Epistolâ Barnabæ improbatur.* 9) 10) 11) 12) 13)

enim ejus hæc sunt p. 37. Μεταβῶμεν ἤ καὶ ἐπὶ ἑτέραν γνῶσιν καὶ διδαχήν. ὅδοι δύο εἰσὶ διδαχῆς καὶ ἐξουσίας, ἥ τε τοῦ φωτὸς ἥτε τοῦ σκότους.

c) De quo suprà lit. *x*. ad §. 30.

§. 33. *Per consequentiam* autem fatendum est non *Gnosticos* modò feriri Paulinâ cautione, sed ab αἱρέσεως ἀρχηγῶ *f*) Simone Mago propagines pestiferas alias, imò uno verbo *hæreticos omnes g*) Quorum nemo est, quin *imperitiæ suæ*, quod de Gnosticis ajebat Hieronymus *h*) *nomen scientiæ vendicet*: nisi eos excipiamus, qui abs re nomen *Gnosimachorum i*) invenerunt, cùm omni Christianorum cognitioni sic adversarentur, ut ne in divinis quidem scriptis aliquam vellent exquiri scientiam, quòd negarent Deum aliud à suis postulare, nisi præclaras & bonas actiones.

f) Ita *Simonem* vocat Eusebius I. Hist. Eccl. 13. πάσης αἱρέσεως ἀρχὴν Cyrillus Hierosolym. Catech 6. φατὶς f. 53. *fontem & radicem hæreticorum* Irænæus lib. I. c. 19. in fine, quem lege & c. 30. ab init. τὸν πρωτότοκον αὐτοῦ (διαβόλου ὑὸν Ignatius Epist. ad Trall. p. m. 15. Etiam qui Arborem hæreseon delineaverunt, Lambertus Danæus & Daniel Cramerus, Simonem faciunt primum Patriarcham vel ultimam stirpem hæreticorum. *Simon Magus hæreticorum Patriarcha.*

g) † Non dubium est, quin ad Pauli dictum respiciat obvia passim apud Scriptores Ecclesiasticos mentio ψευδωνύμου γνώσεως, seu *falsi nominis scientiæ*, cùm in hæreticos invehuntur. † *Irenæi* adversus hæreses *Valentini* similiumque libri, quos latinè hodiè tantùm integros legimus, græcè scripti ἐπιγραφὴν habuerunt ἐλέγχου καὶ ἀνατροπῆς τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, quod Photius cod. 120. interpretatur κατ' αἱρέσεων. † Et verò ad *Valentinianos* locum Pauli satis apertè accommodat Irenæus lib. II. c. 19. in his: *Secundùm antiphrasin ergo veritatis ignorantiam agnitionem vocant. & bene Paulus ait vocum novitates* (καινοφωνίας

(1 (2 (3

4) legit pro κενο φωνίας) *falsæ agnitionis.* † Hunc eundem Pauli locum *Clemens Alexandrinus II.* Strom. f. 280. ed. Heinſ. cùm integrum protuliſſet, mox ſubdit, hæreticos, qui hâc voce correpti fuerint, Epiſtolas ad Timotheum repudiaſſe: ὡσὰν τάυτης ἐλεγχόμενοι τῆς φωνῆς οἱ ἀπὸ τῶν αἱρέσεων τὰς πρὸς Τιμόθεον ἀθετοῦσιν ἐπιστολάς. * Hos hæreticos Grotius ad 1. Timoth. 6. verſ. 20. Gnoſticos interpretatur. De *Marcione* res certa eſſe poteſt ex Tertulliano lib. V. adv. Marcion. in fin. f. m. 330. * Porrò apud *Euſebium* lib. IV. Eccleſ. qui in lemmate c. 7. vocantur ψευδωνύμων γνώσεως ἀρχηγοὶ, in ipſo capite ſunt *Baſilides* & Gnoſticorum pater *Carpocrates.* * Etiam *Epiphanius* hær. 25. 26. 27. f. 36. 39. 48. ed. Græc. Baſil. A. 1544. ψευδωνύμου γνώσεως, & ψευδωνύμου γνώσεως διδάγματα, & ψευδωνύμου γνώσεως αἱρέσεων de Gnoſticis uſurpat, * Denique *Hieronymus* cùm in præfat. Dialogorum adv. Pelag. Tom. III. oper. f. m. 118. *dolere* ſe ait *vicem eorum, qui falſi nominis ſcientiâ ſupplantantur*, tùm alios hæreticos, ſeu, ut ipſe vocat, hoſtes Eccleſiæ, tùm eos intelligit præcipuè, contrà quos ipſe calamum ſtrinxerat, *Helvidium, Joviniauum* ac cæteros. * Neſteros verò apud *Caſſianum* Collat. XIV. c. 16. τὴν ψευδώνυμον γνῶσιν, dictum Pauli diſertè citans latiſſimè extendit ad ſcientiam non *Judæorum* tantùm atque *Hæreticorum*, ſed *Catholicorum* etiam, qui cùm ſacrorum voluminum lectioni ac memoriæ ſcripturarum diligenter inſiſtant, carnalia tamen vitia non relinqvunt.

Epiſtolæ Pauli ad Timotheũ à quibusdã Hæreticis rejectæ.

5) 6) 7) 8) 9)

b) In cap. 64. Eſaiæ, Tom. V. oper. f. m. 112.

i) De his Damaſcenus lib. de hæreſ. f. 585. oper, & obiter Baron. ad ann. 809. n. 39. Tom. IX. Annal. f. 596.

Euſtmatebi.

§. 34. Jam γνώσεως vocabulum volueritne Simon à Græcis Gentilium Philoſophis mutuari, an ab Apoſtolis potiùs, relinquamus in medio. E gentilium quidem certè, ſed in primis

mis tamen è Principis Magorum *Zoroaſtris k)* Scholâ Magus ipſe *duos* ſibi adverſantes *Deos* accepit, *bonum* & *malum*, ἀγαθὸν θεὸν & ἀμίσητρὸν δύναμιν. Ex his unum Veteris, alterum Novi Teſtamenti præſidem fecit: utrumque in novas poteſtates ac principatus, *barbaris l)* omnes *nominibus* inſignitos, partiens, ſic ut è ſiniſtris ab alio Moſen, ab alio Davidem, ab alio Eſaiam, ab alio Ezechielem, & ſic deinceps inſpiratos, ore blasphemo dictaret *m*).

k) † *Duos* eſſe *Deos* ἀντιτέχνας, *bonum & malum, Zoroaſtris* Magi dogma fuit, aliorumque Magorum apud Plutarchum lib. de Iſ. & Oſir. Part. II. Moral. p. m. 155. Et Laert. p. 4. ed. Græc. Baſil. A. 1533. † Ab horum Barbaricâ Philoſophiâ res ad *Græcos* tranſiit, Pythagoram, (cui & Doctorem quidam dederunt Zoroaſtrem, teſte Apulejo II. Flor. & I. Apolog. p. 231. 329. ed Colv.) Platonem, Ariſtotelem, alios. Qui cùm coæternã Deo Materiam faciunt, & hanc mali omnis principium primum atque prorſus independens, perinde ut boni Deum, ponunt (quâ de replura §. 37. lit. *s.*) quid aliud adſtruunt, ſaltem per conſequentiam, quàm duos Deos, bonum & malum? formâ quidem fortaſſe pauló aliâ, ſed eodem cauſæ exitu. † Ex ejusdem autem Zoroaſtris Scholâ ad *Simonem* usque & *Gnoſticos* portentoſa illa de adverſantibus ſibi numinibus ſomnia derivata fuiſſe, per ſimilitudinem dogmatum vix eſt locus dubitationi. † Accedit, quod & *nomen* Zoroaſtris carum ipſis fuit, & conjunctæ cum *Magicis* artibus *libidines* conſangvineos ipſi fuiſſe ſatis manifeſtè produnt. De *nomine* mox dicemus lit. p. ad §. ſeq. De *libidinibus* §. 38. t, 5. 6. 7. Hîc de *Magicis* artibus locum adſcribemus ex Euſebio, ſimul ut inde Irenæum emendemus. † Euſebius ergò lib. IV. hiſt. Eccl. c. 7. Gnoſticorum hiſtoriam inter alia his verbis proſequitur: οἱ καὶ τὸ Σίμωνος, οὐχ ὡς ἐκεῖνος κεύβδην, ἀλλ' ἤδη καὶ

(1 *Duo dii, bonus & malus.*

(2 (3 (4 (5 *Gnoſtici Magia dediti.*

καὶ εἰς Φανερόν, τὰς μαγείας παραδιδόναι ἠξίουν. ὡς δὴ μεγάλοις δὴ μονονουχὶ σεμνυνόμενοι τοῖς κῆ ΠΕΡΙΕΡΓΙΑΝ αὐτῶν δὴ τελουμένοις φίλτροις, ὀνειροπομποῖς τε, καὶ παρέδροις τισὶ δαίμοσι, καὶ ἄλλοις ὁμοιοτρόποις ἀγωγαῖς. * Græcorum ΠΕΡΙΕΡΓΙΑ Latinorum *Curiositas* est. Hîc talem intellige, à quâ & Magicæ artes *curiosæ* dictæ, & Magi *curiosi*, quod obſervatum Gonſalio ad Petron. p. 375. De talibus Act. 19. v. 19. ἱκανοὶ ἦ τῶν τὰ περίεργα (Lat. interpres, *curioſa* Luth. fürwitzige Kunſt) πραξάντων συνενεγκαντες τὰς βίβλους κατέκαιον. * Nec aliter capiendus in hâc voce Latinâ Tertullianus præſcript. adv. hæret. c. 17. f. m. III. *Notata ſunt etiam commercia hæreticorum cum magis compluribus, cum circulatoribus, cum Aſtrologis, cum Philoſophis CURIOSITATI ſcilicet deditis.* Non enim aſſentior ſummo alias in his literis Viro, qui ex hoc Tertullianiloco *curioſitatem* de πολυμαθείᾳ ſeu Philologiâ interpretatur in Lexico ſuo. Curioſitas ibi id ipſum eſt, quod in Euſebii loco περίεργια. * Quæ græca vox bis reddenda eſt Irenæo. Adſcribemus locos, quales adhuc leguntur in Gallaſii pariter & Erasmi editionibus, præſertim cùm faciant ad ea ipſa firmanda, quæ de Simone & Gnoſticis adſtruebamus modò ex Euſebio, cujus loco adeò ſunt gemina, ut ex ipſo Irenæo deducta propè videantur, quæ recenſet Euſebius. * Sic ergò Irenæus lib. I. c. 20. quod eſt de Simone: *Igitur horum myſtici Sacerdotes libidinosè quidem vivunt, Magias autem perficiunt, quemadmodùm poteſt unusquisq; ipſorum. Exorcismis enim & incantationibus utuntur. Amatoria quoque & agogima, & qui dicuntur paredri & orinopompi, & quæcunq; ſunt alia parerga* (lege: aliæ periergiæ, niſi malis, alia pierga) *apud eos ſtudiosè exercentur.* Et c. 23. ubi de Baſilide, (fallit enim titulus capitis ejus, cùm de Saturnino pollicetur, trajiciendus cum titulo cap. præcedentis:) Utuntur autem & imaginibus, & incantationibus, & invocationibus, & reliqua univerſa parerga. (repone:

6) περιεργία. *Curioſitas.*

7) *Tertullianus explicatus.*

8) *Irenæus emendatus.*

9)

(repone: periergiâ.) * Capite ſequenti ubi de Carpocrate, *malignationem per interpretem* vocat, quod aliàs periergian: *Artes enim magicas operantur & ipſi, & incantationes, philtra quoq; & charitesia, & paredros, oniropompos, & reliquas malignationes.* Fuerunt ergò Gnoſtici iisdem artibus dediti, quibus & γνώσαι, de quibus ſuprà lit. *r.* ad §. 28. (10

l) Solebant Magi barbaris vocabulis uti, & vim illis arcanam tribuere. Zoroaſter (verus Magus, licet ſub alieni nominis larvâ) in oraculis c. 11. apud Heurn. p. 139. Philoſ. Barb. *Nomina barbara nunquam mutaveris: ſunt enim nomina ſingulis à Deo data, potentiam in ſacris ineffabilem habentia.*

Barbara Vocabula Magus ſolennia.

m) Hæc omnia de Simone intelliges ex Epiphanio hæreſ. 21. f. 31. ed. græc. (f. 27. 28. ed. lat.) Atque hinc jam aut interpretare *Vincentium Lerinenſem*, ſi rem intellexit, aut caſtiga, ſi ſenſ m Simoniani dogmatis non aſſecutus eſt, cùm cap. 34. contrà hæreſes p. m. 77. 78. ſcripſit, Magum Simonem, à quo turpitudinum gurges usque in noviſſimum Priſcillianum continuâ & occultâ ſucceſſione manaverit, auſum dicere, *auctorem malorum, id eſt, ſcelerum, impietatum, flagitiorumq; noſtrorum creatorem Deum, quippe qui talem hominum creet naturam, quæ nihil aliud poſſit, niſi peccare.* Quod in hoc genere docuerunt iſti hæretici, ex duobus ipſorum Diis ad malum pertinet, non ad bonum. De Simone Epiphanius clarè, cùm inter dogmata ejus ponit, εἶναι τὸν αἰῶνα τοῦτον ἀπὸ ἀρχῶν καὶ ἐξουσιῶν τῆς κακίας ἐν ἐλαττώμασι κατασκευασθέντα. De Priſcilliano verò & ſociis Auguſtinus c. 70. de hæreſ. *Opificium omnis carnis non Deo bono & vero, ſed malignis angelis tribuunt.* Cæterùm refellendus hinc & Danæus, qui ad c. 6. & 7. Aug. de hæreſ. p. 23. 25. primos putat *Gnoſticos* fuiſſe hæreticorum, qui duplicem Deum induxerint. Pro Gnoſticis avum eorum Simonem nominâſſe oportebat.

Vincentius Lerinenſis expoſitus.

§. 35. Ut hinc jam æstimare quoque liceat, tùm quid sint apud Paulum ψευδωνύμου γνώσεως ἀντιθέσεις *n*), quid item βέβηλοι κενοφωνίαι *o*): tùm cur in tantâ veneratione fuerit apud Gnosticos nomen pessimi Ethnicorum Zoroastris *p*).

n) † Oppositæ videlicet acies duûm Deorum ἀνθιτέχνων. Quales ex Zoroastris & Magorum disciplinâ describit & Plutarchus de Isid. & Osir. II. Moral. p. m. 156. Ἀντιθέσεων quoque speciem quantam præbet illa Συζυγία Pythagorica Bonorum & Malorum apud Aristotelem I. Metaph. 5. illæ item Pyramides quæ Lucis atque Tenebrarum apud Kircherum Tom. II. Oedipi Class. VII. c. 2. † Possis etiam trahere ad ἀντιθέσεις, quibus Vetus & Novum Testamentum tanquam sibi pugnantia opponebat Simon. Quod post ipsum alii quoque fecerunt, qui dogma illud de duobus Diis, bono & malo tuerentur, ut *Marcion* & *Manichæi*. † Et contrà *Manichæum* quidem Adimantum, multa locorum utriusque Testamenti paria adversis frontibus inter se committentem liber Augustini legitur Tomo VI. oper. f. 174. † *Marcionis* verò *Antitheses* disertè memorat nobis in eâdem causâ Tertullianus. † Res tamen omnis etiam hîc ad mutuos duûm Deorum conflictûs tandem abit. † Tertulliani verba extant lib. I. adv. Marcion. f. 158. *Separatio Legis & Evangelii proprium & principale opus est Marcionis. Nec poterunt negare discipuli ejus, quod in summo instrumento habent, quo denig; initiantur & indurantur in hanc hæresin. Nam hæ sunt ANTITHESES Marcionis, id est; contrariæ oppositiones, quæ conantur discordiam Evangelii cum Lege committere, ut ex diversitate sententiarum utriusq; instrumenti diversitatem quoq; argumentetur Deorum.* † Minùs bene Grotius τὰς ἀντιθέσεις in Epistolâ Paulinâ refert ad ipsorum inter se hæreticorum pugnas: de quibus scil. ad cap. 1. ejusd. Epistolæ v. 4. monuerat, aliter Basilidianos, aliter Valentinianos classes illas & nomina Æonum

num ordinavisse, suo quemque arbitratu. Hæc certamina in ætatem Pauli non cadunt: cadunt oppositiones duplicis Dei, & utriusque Testamenti, quas jam vivo Paulo inchoaverat Simon. † Omitto quàm frigidum sit, si Timotheum hortetur Paulus, ut hæreticorũ inter se digladiationes caveat: nam digladiationes hæ periculũ creant non orthodoxis, sed hæreticis ipsis, ut incitandæ sint potiùs, quàm minuendæ.

o) † Barbaræ nimirum planeque profanæ voces, quales post Simonem quoque amaverunt ejus nepotuli, ut *Jaldaboth*, *Abraxas*, *Prunicus*, *Caulacan*. Plenæ sunt talibus horum historiæ. † Ac de his locum Pauli putes Epiphanium exposuisse, sub initium hæres. 26. de Gnosticis hæc scribentem. πνὰ ἡμῖν παρεισφέρουσι κενοφωνίας ὀνόματα. † Nec abit Benedictus Justinianus Jesuita in explanationibus ad hunc locum f. 519. nescio tamen quo jure Augustinum quoque ex c. 6. de hæres. in hanc rem citans. † Cæterùm hîc non dissimulo, βεβήλους κενοφωνίας, quæ tùm hîc leguntur, tùm in loco parallelo 2. Tim. 2. 16. Ambrosio in Commentariis Tom. V. oper. f. 410. & 414. (cui junge Augustinum Tract. 97. in Joh. Tom. IX. oper. f. 483.) esse *prophanas vocum novitates*. Qui sic verterunt, procul dubio legerunt καινοφωνίας. † Quas etiam dilucidè exhibet Chrysostomus posteriorem ad Timoth. explanans Homil. V. f. 570. Τὰς δὲ βεβήλους καινοφωνίας περιῖσασι. Addit enim: ἀδὲ γὰρ μέχρι τότε ἔστησαν. ὅταν γάρ τι καινὸν ἐπεισενεχθῇ, ἀεὶ καινοτομίας τίκτει. † Idem in priore quam lectionem secutus fuerit, ex ejus interpretatione non liquere pronunciat Erasmus in Annot, f. m. 682. Rectè. Nam ibi verbum illud planè non interpretatur Chrysostomus. † Aliam causam affert Justinianus Jesuita l. c. *Utrovis enim*, inquit, *modo legas*, *Chrysostomi explanatio stat. Ait enim, quæ quis proprio Martè excogitat, pertinere ad* κενοφωνίαν. Sed hoc est verba Chrysostomi torquere, quæ manifestè respiciunt

untnon ad τῆς κενοφωνίας, sed τῆς ψευδωνύμου γνώσεως vocabulum: ὅταν, inquit, ἐκ τῶν οἰκείων λογισμῶν πίπτῃ τι, γνῶσις οὐκ ἔστιν, homil. 18. in I. ad Tim. f. 531. † interim probabile est, legisse
8) Chrysostomum & hoc loco, perinde ut in alterâ ad Timo-
9) theum, καινοφωνίας. † Eadem lectio probata quoque fuit vel Irenæo, vel ejus certè veteri translatori, cujus locum dedi-
10) mus suprà §. 33. g, 3. * Ab aliis expositoribus κενοφωνίας retine-
11) ri annotant Interpretes. * Utraq; Lectio adBarbaras illas, Simonis & Gnosticorũ voces quadrat, quippe quæ & *novæ* fuerunt, in auribus utique Christianorum, & *inanes* non minùs quàm idola, & ipsa pro signis commentitiorum Deorum habita, de quibus Apostolus pronunciat: οἴδαμεν ὅτι οὐδὲν εἴδωλον ἐν κόσμῳ, καὶ ὅτι οὐδεὶς θεὸς εἰ μὴ εἷς, 1. Cor. 8. 4. * Porrò in alterâ ad Ti-
12) motheum Apostolus iis, qui talibus κενοφωνίαις studeant, *Hymenæum* ac *Philetum* nominatim accensèt: qui dixerunt, Resurrectionem jam factam esse: h.e. *Resurrectionem carnis*, quam nos Christiani futuram exspectamus, *negaverunt*, eoque fine Scripturæ dicta nobis eam pollicentia detorserunt ad Resurrectionem aliam jam præteritam. * Etiam hoc virus à Simone ut in Saturninum, Basilidem, Carpocratem, Valentinum, ac similes, sic in Hymenæum ac Philetum transiit: quanquam dubitat Cramerus Class. I. Hæreseol. c. 1. p. 66. cùm Hymenæus ac Philetus coætanei Simonis fuerint, discipuli
14) ejus, an præceptores haberi debeant. * Utique Simon, ut expressè testatur Augustinus c. 1. de hæres. *negabat carnis resurrectionem.* * Neque hoc dissentaneum erat sacerrimo ejus
15) principio de duobus diis, quorum malus corpus nobis creaverit. Sic enim animæ in corpore status semper miseriæ fuerit, nunquam beatitudinis. * Simile argumentum incredibilem Resurectionem fecit Græcorum etiam Philosophis. Quâ de re plura infrà §. 52. lit. *d.* 37.

Hymenæus & Philetus. Resurrectio mortuorum à quibus negata?

Et è quo fundamento?

16)

p) Qui

p) Qui Prodici hæresin sequebãtur, (Gnosticos fuisse patebit infrà §. 43. lit. f.) Clemente Alexandrino teste lib. I. Stromat. f. m. 63. arcanos *Zoroastris* libros gloriabantur se possidere. Et ex Porphyrio refert Baronius ad ann. 120. n. 36. Tom. II. Annal. f. 80. Gnosticos Romæ vulgâsse libros quosdam, quos *Zoroastris Revelationes* appellaverint. Pseudepigraphi fuerint hi libri. Esto, Certè qui vulgaverunt, amatores nominis Zoroastrei hoc ipso se sunt professi.

Zoroastrii libri.

§. 36. Nimirum Samaritanus ille Simon, ut se dignum patriâ probaret, *Syncretismum* Ethnicæ Christianæque Religionis moliebatur *q*).

q) *Cum Paganismo Christianam Religionam miscere aggressus est omnium primus Simon Magus Claudio imperante*, ait Grotius annot. ad c. 24. Matth. f. 403. Approbans hanc ejus observationem pl. Reverendus Mich. Siricius Disp. I. de Simone Mago th. 65. p. 58. Simonem vocat *Syncretestarum sub N. T. Patrem.* Verùm quæ solet Syncretistas suo merito excipere fortuna, ut utrinque malè audiant: ea si non Simonem, ejus certè nepotes excepit Gnosticos. Cum quibus non Christiani tantùm prælia commiserunt, sed ex Platonicis etiam Gentilibus (ut Baron. ad ann. 120. n. 36. docet,) Plotinus, edito in ipsos, qui abuterentur Platonis sententiâ, commentario.

Simon Magus Pater Syncretistarum.

§. 37. Quod ipse, ejusque successores, quos constat juxtà cum Jesu imagine Platonis quoque, Pythagoræ & Aristotelis imagines coluisse *r*), tùm demùm accuratè se perfecturos credebant, si capitalem illum *de duobus contrariis rerum principiis æternis* errorem, qui totius paganicæ impietatis fundamentum est *s*), Ecclesiæ affricarent.

r) De Gnosticis ex Scholâ Carpocratis hoc testantur *Irenæus* lib. I. c. 24. in fin. *Epiphanius* hæresi 27. f. 51. *Nicetas* lib. IV. thes. orthod. fid. c. 3. p. 252. Quibus adde *Augustinum* c. 7. de hæres.

1) *Fundamentalis error Gentilis Philosophiæ de duobus principiis coæternis.*

s) * Gassendus Sect. I. Phys. lib. I. c. 6. f. m. 163. *Omnes* Philosophi (de Gentilibus loquitur) *in id consenserunt, ut materia præfuerit, ex quâ procreatus sit Mundus, quòd nihil ex nihilo fiat.* Similia repetit lib. VII. c. 6. f. 484. * Errorem hunc non magis pestilentem, quàm ab ipsâ ratione, quæ præter Deum unum verum à se quicquam esse non patitur, alienum *duobus* tamen *argumentis* à Patre mendatiorum persvaderi sibi passi sunt illi miseri. * *Primum* hîc tangit Gassendus, & nos suprà lit. c. ad §. 19. indicavimus. Credebant enim, absque ullâ exceptione simpliciter verum esse, quod dicitur, ex nihilo nihil fieri. * *Alterum* erat, quòd putabant, absolvi Deum, ne causa mali haberetur, aliter non posse, nisi detur aliquod ultimum, & prorsus independens mali omnis principium. Atque hoc scisebant illam esse Deo Coæternam, nec ab illo creatam materiam: quanquam turbat hîc Plutarchus, ut alibi, si DEO fuerit visum, declarabo. De hâc ratione alterâ videndus Origenes c. 24. Philocaliæ p. m. 83. Confer etiam, quæ suprà diximus §. 34. k. 1. 2. * Ac vide mihi quæso versutiam serpentis antiqui. Ipse cùm se sciret omnis esse mali originẽ, crimen hoc à se rejecit in immerentem & à Deo conditã materiam: hanc autem æquis gradibus oppositi Deo. Ita suam personam imposuit materiæ; vicissim sub hujus larvâ exæquavit se Deo. Porrò dum Deum negavit ex nihilo quicquam facere posse, simul Deum quoque æquiparavit sibi. Nec enim satis commodè putabat processurum negotium, nisi detraheret aliquid Deo, aliquid adderet sibi. Omnipotentiam ergò detraxit Deo, sibi verò sub materiæ simulacro æternitatem adjecit, principii omnis expertem. * Cæterùm ab hoc dogmate, tanquam ab stirpe videtur universæ Gentilis Philosophiæ per varias diductæ sectas propago delineari posse. Libet hîc breve periculum facere tantùm in quatuor Græcanicæ

2)

3)

4)

5)

6) *Quatuor Sectarum Græcæ Philosophiæ prima divisio.*

canicæ Philosophiæ familiis præter cæteras celebribus, quarum capita fuerunt *Plato, Aristoteles, Zeno, Epicurus.* * Semel admisso, quòd Materia Deo coæva fuerit, quoniam Mundus hic sensibilis ex materiâ certè constat, è quibus alterum fuit necessarium, ut existeret Mundus (unus an plures, nihil hîc refert,) ex commistione Materiæ aut secum ipsâ, aut cum Deo. * Prius *Epicuro* placuit, qui Mundum absque curâ Dei ex fortuitâ coitione atomorum conflavit. * Posterius in novos ramos funditur. Mixtus enim Materiæ Deus fuit aut libero connubio, quod *Platoni* visum, aut necessario, quod *Aristoteli & Stoicis.* * Hos ab Aristotele rursum illud dissociavit, quòd cum Mundo Deum *ille* formam daret assistentum, *ipsi* maluerunt informantem dare. * Hæc possunt qualiacunque esse Philosophicarum quatuor inter Græcos factionum historiæ prima linea menta, quæ brevi, volente Deo, plenius describere, suisque confirmare rationibus meditamur. * Hîc videamus, quemadmodùm ea Lipsius initio differt. 8. lib. II. Physiol. Stoicorum digerat. *Tanti operis,* inquit, *quis auctor? Nullus, ajunt quidam, & ab æterno fuit. æternumq; erit. Alii, qui factum statuunt, partim à Natura (ut Strato,) partim à Forte & Casu, ut Epicurus. Stoici verissimè, à Deo & Providentia esse.* * Multâ hîc reprehensioni opportuna. *Primò,* qui Mundum faciunt æternum, (in Aristotelem telum hoc jactum voluit Lipsius, omitto hîc scrutari, an non torqueri possit & in Stoicos,) non illicò erant ut nullum illi darent autorem, cogendi. Amoliri hanc vim possunt, saltem ex eorum judicio, qui disputant, æternitatem Mundi, etiam ex nihilo creati, non repugnare potentiæ Dei absolutæ. Quæ magni nominis multorum est Scholasticorum sententia: non definio an vera: satis hîc est, habere exploratum, quid hominibus Christianis, nedum Ethnicis, potuerit venire in mentem. * *Deinde* dogma de nullo mun-

(7 (8 (9 (10 (11 (12 *Lipsii & de ea opinio discutitur.* (13 (14

lo mundi auctore maximè debebat in Epicurum hujusve similes conferri, qui Deos suos adeò liberavit omni & condendi molestiâ & protegendi, ut in otio svavi ludentes faceret
15) per intermundia, omnium extrà se rerum securos. † *Jam* ubi ad Auctorem Mundi perventum est, h. e. causam Efficientem, pro uno (Auctorem enim non aliam essentiam dederunt Mundo, quàm divinam, quicunque Mundum putaverunt non esse à se ipso,) perperam tres nominantur à Lipsio, *Natura* Stratonis, *Fors & Casus* Epicuri, *Deus & Providentia* Stoicorum. Quos dubites quoque, an non quinque debeas numerare. Sed tres age sunto. * De *Epicuro* jam dicta est sententia. *Fortuna & Casus* non Autor est, sed conditio quædam
16) aut qualitas, quam sui ipsius autori Mundo inesse fingebat Epicurus. * Eodem censu habenda est *Natura Stratonis*. Quem
17) ideò Lactantius in hoc ipso jungit socium Epicuro, quòd uterque hinc Universitati *nullum auctorem* dederit, putà extrà seipsam. Clarissima sunt ejus verba c. 10. de Irâ Dei: *Qui nolunt, divinà providentiâ factum esse Mundum, aut principiis inter se temerè coeuntibus dicunt esse concretum,* (ad Epicurum hæc spectant,) *aut repente Naturâ extitisse: Naturam verò, ùt ait Straton, habere in se vim gignendi & minuendi, sed eam nec sensum habere ullum, nec figuram*: (haustum hoc è Cicerone I. de Naturâ Deor. p. 9.) *ut intelligamus omnia quasi suâ sponte esse generata, NULLO ARTIFICE,*
18) *NEC AUCTORE.* * Ipse Lipsius lib. I. Phys. Stoic. diss. 8. agnovit, Mundum Stratoni non alium præter se, aut suprà se habere Deum. *Seneca*, inquit, *in fragmento quodam apud. Augustinum:* (VI. de Civ. Dei 10.) Ego feram aut Platonem, aut Peripateticum Stratonem? Quorum alter (*Plato*) Deum sine corpore fecit, alter sine animo. *Plato enim supremam mentem architectricem agnoscit, liberam & secretam ab omni contagione mortali, atq; ut Cicero loquitur,* Deum statuit ασωματον, incorporeum.

Strato Lampsacenus.

At

At Strato eundem sine Animo, id est, Naturam hanc rerum & Mundum sine Mente gubernante. Hæc sententia Stratonis est, quam Manilius tangit:

Aut neque terra Patrem novit, nec flamma, nec aer,
Aut humor, faciuntque Deum per quatuor artûs,
Et Mundi struxére globum, prohibentque requiri
Ultrà se quidquam.

Id est: Sive quatuor elementa non habent auctorem & originem, ipsa sunt, aut faciunt juncta Deum, NEC ALIUM PRÆTER SE, AUT SUPRA SE HABENT. Hæc Lipsius. Quem & vide lib. I. diss. 5. p. 11. * Accensendus ergò illis fuerat Strato, qui Mundum privant Auctore. In hoc enim illi cum Epicuro pax fuit. Ut omninò per ipsum Peripateticus ordo, (fuit quippe discipulus Theophrasti,) Providentiæ imminutione jam nutans, majorem inclinationem fecerit ad dogma Epicuri. * A cujus & (19) (20
Democriti atomis tamen hamatis atque uncinatis Naturam ille suam figuræ expertem utcunque diversam fecit, ut è Lucullo Ciceronis p. 30. si cum loco I. de Nat. Deor. conferatur, intelligimus. * Jam *Epicuro* & *Stratone* pulsis eo loco, (21
quem illis assignaverat Lipsius, soli *Stoici* (nam de *Platone* altum Lipsio silentium, videlicet, quia nihil aut parum hinc in præsenti negotio credidit esse cum Stoicis divortii, ut ex lib. I. differt. 12. intelligo, quod tamen longè secus est,) resident in eâ parte, quæ mundum ex se ipso natum negat. Atque hi *à Deo*, inquit, *& Providentiâ Mundum esse statuunt.* * Quæ- (22
rendum hîc est ex Lipsio, quid *Mundi* nomine jam intelligat? *Mundi Sono ambigua.*
Compagem, inquiet, rerum extrà Deum. Atqui sic reliqui Philosophi capiebant quidem, nec de aliâ erant hujus vocis notione solliciti magno perè: Stoici verò Mundum etiam dicebant illud ex Deo & Materiâ complexum. Quo sanè sensu non ab alio Mundus illis, verũ à se ipso, ipse scil. Deus. Di-

23) ſtinguere ergò Lipſium hîc decebat. * Age verò, Mundi nomine hîc intelligatur, quicquid eſt præter Deum: cur hunc Mundum *à Deo* eſſe *& Providentiâ* dicit Lipſius? Satis enim erat, *à Deo*. De *Providentiâ* taceri poterat, tùm, quia de Auctore Quæſtio erat, non de iis, quæ Auctori juncta numerum non augent (nec enim Providentiam inducebant Stoici, ut Deã quandam ſingularem, vide Cic. II. de Nat. D. p. 40.) tum quia Stoici *Providentiam* verbo profitentes, dum *Fatum* illi appendunt, revera ſuffocant, certè gravant, ereptâ illi, quâ maximè viget, Libertate. † Verùm id erat *Lipſio* propoſitum, ut quem admodùm Ariſtotelem Scholaſtici, ſic ipſe Stoicos ſuos, quo ad poſſet, maximè reduceret in gratiam cum religione Chriſtianâ. Qui ſic animati Gentilis Philoſophiæ hiſtoriam aggrediuntur, hi dubito, an veritati, quæ prima debet eſſe virtus hiſtorico propoſita, totos impendere ſe poſſint.

24)

§. 38. Atque in hoc ita ſunt illi verſati, ut hypotheſi, quæ Deo bono malum exæquat, in ſe peſtilentiſſimâ peſtilentiùs denique abuterentur, planè contrà exemplum moratiorum Gentilium *t*), ad horrendis quibusque ſpurcitiis *u*) conciliandam non *liciti* modò *x*), ſed *juſti* opinionem, cùm dicerent: hâc ratione mundanis principibus, h. e. malis geniis debitum quaſi ſuum exſolvendum eſſe *y*).

1) *Græci Philoſophi moratiores Barbaris.*

t) † Gentilibus *Barbaris* moratiores hîc videntur fuiſſe *Græci*, Pythagoras imprimis ac Plato. Qui & ipſi quidem illo de duobus principiis errore capitali fuerunt imbuti, ſed eo ad turpitudinẽ vitæ adeò ſe non paſſi ſunt abduci, ut ad mores potiùs quales extrà Eccleſiam eſſe potuerunt, ſanctiſſimos,

2) viam inde reperiſſe ſibi viderentnr. † Cùm enim rcederent, animam Dei, corpus Materiæ ſobolem eſſe, ita ſe beatos fore collegerunt, ſi etiam in hâc vitâ corporeis animam vinculis, h. e.

h. e. cupiditatibus pravis exolverent, cumque Deo per cœleſtium rerum juges meditationes, tanquam principio ſuo ac fonte conjungerent. * Hinc illa Philoſophiæ, (quam & Beatitudinis procreatricem eſſe volebant,) definitio: καθαρσις ψυχῆς ἀπὸ σώματος & ζώσῃ ἐπὶ συσταυρώσει, apud Varinum f. 1833. Lex. (cui confer illam Platonis ſuprà poſitam §. 23.) & altera illa paſſim obvia, μελέτη θανάτου, piis etiam Patribus ſic habita in deliciis, ut (quemadmodùm eſt à nobis cùm A. 1653. profeſſionem Ethicam auſpicaremur, pluribus oſtenſum in programmate,) ſuam facerent, ſanctæque religioni accommodarent, perinde ut Platonicæ Scholæ alia compluria. † Quæ res tamen malè vertit denique, & in fanaticam ſanctitatem, ad quam Gentiles ſua ducebant principia, non cautè ſatis ab iſtis Patribus declinata, erupit. Sed hâc de re infrà §. 45. † Nunc *Barbari* videndi ſunt, atque in his *Perſæ* inprimis cum *Zoroaſtre*: quos potiùs quàm Græcos duces ad libidinem videtur elegiſſe Simon Magus, ipſe naturâ, ut Epiphanius teſtatur hæreſ. 21. f. 26. laſcivus. * Enim verò apud Perſicas nationes ex *Zaradæ* legibus (hunc docti *Zoroaſtrem* eſſe contendunt) in ceſtæ cum Matribus, Sororibus, filiabus nuptiæ res juſtiſſima fuerunt habitæ. Teſtis Theodoretus lib. IX. græc. aff. f. m. 624. † Ac refert Strabo propè finem lib. XV. Magos Perſarũ cum Matribus ex patrio more congredi. Imo putatum eſt apud eam gentem, bonum Magum exiſtere vix poſſe, niſi quem ex filio concepiſſet Mater. Quam impiam religionem merito vocat, licet alioqui parùm caſtus poëta, Catullus Epigr. 91.

(3 *Philoſophiæ definitio.*

(4

(5 *Perſarum libidines.*

(6

(7

u) † Adeo *fœda* ſunt, quæ de Simone Mago & Sectatoribus ejus memorantur, ut ea ſilentio præterire ſatius eſſe duxerit Theodoretus, quem vide præf. lib. II. hæret. fab. † His addebant cædes infantum, & ita cæſorum viſcerationes.

1) *Gnoſticorũ fœditas & immanitas.*

2) Nam

Nam & hæc *immanitas* à Simone Mago cœpit, si credimus
Clementi de rebus gestis Petri, citato à Wower. Minuc. Fe-
3) lic. p. m. 160. & Gaulmin. not. ad Psell. de Dæm. p. 125. † Un-
de calumniam, quâ Christianis objectabantur olim *nuptiæ*
Oedipodeæ, & cœnæ Thyesteæ, ortam volunt à confusione ver-
orum Christianorum cum Gnosticis Pseudochristianis. Vide
Euseb. IV. hist. Eccl. 7. *Baron.* ad ann. 120. n. 14. 22. & 25. Tom.
II. Annal. f. 73. 75. 76. *Delr.* lib. III. Disq. Mag. part. 1. q. 1. p. 355.
& q. 3. p. 397. *Cramer.* hæreseol. p. 173. *Wower.* ad Minuc. p. 159.
& confer cum *Cyrillo Hierosol.* catech. 16. Φωτ. f. 178. cui pro
4) Gnosticis nominantur hâc in causâ Montanistæ. † Adver-
An rectè vocata in dubium ab Heraldo? satur Desiderius Heraldus notis ad Minuc. pag. 76. qui existi-
mat, quæ de Gnosticis & Quintilianis (hi de Montani sunt
Scholâ,) Epiphanius & alii nonnulli hoc in genere tradide-
runt, omnia falsa esse, & in odium sectarum illarum ab ho-
minibus perversè religiosis, qui Dei opus mendaciis provehi
posse existimarent, ficta. Argumentum ejus est, quòd
cùm calumnia ista omnibus Christianorum apologiis sit
confutata, nemo tamen inventus sit, qui ejus immanitatis
sectam ullam hæreticorum vel leviſſimâ suspicione aspersе-
rit: neque enim futurum fuisse, ut de hujusmodi Pseudochri-
5) stianis planè tacerent scriptores Apologeticorum. † Hæsi-
Epiphanius. to, præsertim cùm videam *Epiphanii* credulitatem Casau bo-
no etiam, licet in aliâ re versanti, notari: *quem res* inquit, *ar-*
6) *guit ipsa, levibus auditiunculis, nescio unde acceptis, facile nimis ali-*
quando fidem habuisse, Exerc. XV. ad Baron. Sect. 7. p. 251. * Sed
in hoc tamen de Gnosticis negotio vix est, ut res ad leves au-
ditiunculas exeat. Etenim, quæ de his narrat Epiphanius,
eorum testes hæres. 26. f. m. 47 citat non modò libros Gnosti-
corum, à se lectos, sed etiam viros fide dignos, & ipsos insu-
per talium patratores, in quos incidens & per lubricam æta-
tem

tem ab eorum fœminis ad societatem scelerum invitatus, ex
ore sua facinora narrantium ἀυτοπροσώπως hæc audiverit: ni-
si de vagis tantùm nuptiis, non item de Thyesteis epulis, de
quibus equidem solis Heraldus videtur esse sollicitus, cùm
tamen utrumque crimen passim connectatur, Epiphanium
interpretemur, aut ipsum hîc mendacii non modò alieni,
sed etiam ab se conficti, postulare, quod nemo hactenus au-
sus est, velimus. † De illis igitur impuritatibus non temerè (7
sollicitanda tot seculorum fides, aut eæ saltem, si argumento
Heraldi nihil aliud reponi poterit, ævo Epiphanii relinquen-
dæ. † Mandaveram hæc literis, ubi cognovi post Herald-
dum eandem causam defendi à pl. Rev. Christiano Korthol-
to Diatribe III. de Calumn. in veteres Christianos p. 65. &
seqq. qui quidem Heraldum ut argumentorum copiâ & ex-
politione, sic modestiâ vincit dubitandi, decisioni doctio-
rum rem omnem committens. Cui nos quoque nostra
subjecta volumus.

x) Ex Irenæi lib. I. c. 20. discimus, Simonem suos permi- *Indifferen-*
sisse *liberos agere quæ velint; secundùm enim ipsius gratiam salvari* *tismus mo-*
homines, sed non secundùm operas justas: nec enim esse naturaliter ope- *ralis.*
rationes justas, sed ex accidentiâ. Idem c. 24. de Carpocrate &
sociis: *Vitam quidem luxuriosam, sententiam autem impiam ad vela-*
men malitiæ ipsorum nomine abutuntur, Quorum judicium justum
est, recipientium dignam suis operibus à Deo retributionem. Et in tan-
tum insania effrenati sunt, uti & omnia, quæcunq; sunt irreligiosa
& impia, potestatem habere operandi se dicant. Sola enim humana opi-
nione negotia mala & bona dicunt. Habes hîc moralis Indiffe-
rentisimi, quem ausu prorsus impio refodientes quosdam
hoc seculum vidit, parentes, uti benè observavit exquisi-
tisimi judicii Collega noster Schertzerus p. 249. Breviar
Eustachiani.

1) y) † Hæc de Gnosticis *Carpocrateis* Eusebius lib IV. hist. Eccl. c. 7. de *Valentinianis* Irenæus lib. I. c. 1. f. 22. ed. Gallas. οἱ δὴ ταῖς τῆς σαρκὸς ἡδοναῖς κατακόρως δουλεύοντες τὰ σαρκικὰ τοῖς σαρκικοῖς, καὶ τὰ ψυχικὰ τοῖς ψυχικοῖς ἀποδιδόασι λέγουσι. Fæditates ergò suas Gnostici disputabant opera esse *Justitiæ* suum cuique tribuentis. † Easdem sibi permittebant multis pòst seculis Begardi circà annum 1314. orti, negabantque esse peccata: sed ex alio principio, quia scilicet admitterentur ab hominibus voluntate suâ exutis. Gerson. ad non. brevi, quomodo cautè legendi sunt quorundam libri Tomo I. oper. Alphab. XIX. lit. *k*) *Fuit alter error de lege & Spiritu libertatis, sub quâ Begardi & Begardæ nefanda & abominabilia perpetrarunt facinora. Ponit error iste, quòd anima perfecta reducta in Deum perdit suum velle: ita ut nihil habet velle vel nolle nisi velle divinum, quale habuit ab æterno in esse ideali divino. Quo adjecto dicunt, se consequenter posse agere, quicquid carnalis affectio deposcit, sine peccato & crimine, cùm non habeant velle & nolle.* † Hinc interpretabimur, quid sit illud, quod inter eorum dogmata reponit Prateolus in Elench. hæres. p. m. 437. *hominem posse in præsenti vitâ finalem consequi beatitudinem, juxtà omnem gradum perfectionis, quem habiturus est in cœlesti patriâ, adeò quidem, ut hic reddatur impeccabilis.* † Hæc videlicet Begardorum *impeccabilitas* planè contraria fuit illi, quàm Massaliani, de quibus infrà §. 47. jactabant: gemina verò Gnosticorum impeccantiæ, de quâ mox §. seq. cognoscemus, nisi quòd eam alio, ut diximus, argumento suis persvaderent. † Cæterùm cognationem eorum cum Gnosticis: etiam hoc prodit, quòd docebant, *esse hominis imperfecti in operibus virtutum se exercere; hominem, cùm supremum perfectionis statum attigerit, nulla bona opera facere debere,* apud Prateol. d. l. Hoc enim ipsum Gnosticos quoque docuisse, §. seq. monstrabitur. † A quorum cœnis & viscerationibus quoque

2) Begardi.

3)

4) Impeccabilitas mirabilis.

5)

6)

que paulò ante lit. *u.* 1. 2. memoratis non abludit magnoperè, quod de Begardis scribit Wolfius 1. Memorab. f. 540. nocturnos egisse conventûs in locis abditis, ubi sacerdos eorum primùm quædam ad laudem Dei cecinerit, deinde de suâ religione differuerit. Quibus peractis in promiscuos complexûs & virginum & mulierum extinctis luminibus eos ruisse: infantem exinde natum tamdiu violentis manibus traxisse, donec animam exhalaret: in cujus autem manibus ille expiravisset, Pontificem maximum inter eos creatum.

§. 39. Vide porrò extremam insolentiam nefandi dogmatis. Quod ipsi cùm strenuè traducerent in mores, negabant tamen in eo se non pollui modò, sed vel ullius esse corruptionis capaces. Quin Christianos etiam orthodoxos, quos vel mente aut sermone peccandi verecundiâ tangi cernebant, pro idiotis ridebant & imperitis, contràque hos tanquam ψυχικὸς titulum sibi τῶν πνευματικῶν & τελείων arrogabant. Nimirum imperfectioribus illis bona opera esse necessaria, tantùm ut ad locum mediocrem eniterentur, sibi, quia naturâ sint spirituales, nihil horum opus esse. Denique nostrorum operibus pariter & *fidei* suam γνῶσιν & opponebant, & maximo cum supercilio anteponebant z).

z) Saltuatim hæc omnia ex Irenæo de Valentinianis agente. Quem vide lib. I. c. 1. f. 20. & 22. ed. Gallasii. Locum tantùm unum, quo πνευματικὸς & ψυχικὸς, γνῶσιν item & πίστιν, ex mente Valentinianorum opponit, adscribere visum est ex f. 20. οἱ πνευματικοὶ ἄνθρωποι, οἱ τὴν τελείαν γνῶσιν ἔχοντες τοῦ θεοῦ καὶ τῆς ἀκαυώθ- His mox opponuntur ψυχικοὶ ἄνθρωποι, οἱ δὲ ἔργων καὶ πίστεως ψιλῆς βεβαιούμενοι, καὶ τὴν τελείαν γνῶσιν ἔχοντες. Christianis Valentiniani exprobrabant ψιλὴν πίστιν *nudam fidem*, non quæ operibus careret, adjunguntur enim opera, sed cui non adhæreret magnifica scil. ipsorum γνῶσις. De cætero præter

πίστις. γνῶσις.

πνευματικοὶ ψυχικοὶ, χοϊκοί.

præter πνευματικὸς & ψυχικὸς tertium quoque genus hominum faciebant χοϊκὸς, qui planè abeant in corruptionem. Atque hos nullo habebant loco; Christianos aliquo: sed horum contemplatione se & in summo reponebant gradu, & jactabant perfectos. Horum exemplum imitati sunt & alii posteà hæreticorum. Nam & *Montanistæ*, quos idem seculum à Christo nato secundum paulò post Valentinianos effudit, gaudebant se *spirituales* vocari, à se verò dissidentes orthodoxos ipsi vocabant ψυχικὸς, Danæ. ad c. 26. Aug. de hæres. p. 77. De *Massalianis*, qui quarto seculo sunt exorti, dicemus infrà §. 47. lit. q.

§. 40. Hæc ergò ipsorum horribilis πυσαγωγία, hæc præclara scilicet illa γνῶσις fuit. Quæ nomen hoc execrandum facere poterat veræ Ecclesiæ, nisi ψευδώνυμος Apostoli judicio fuisset declarata.

§. 41. Itaque insanientem illam sapientiam amasiis suis relinquentes veram Dei γνῶσιν asseruerunt sibi veteres Christiani *a*), cumque verâ *fide* conjunctam esse docuerunt *b*).

Barnabæ Epistola.

a) Fidem faciet vel sola *Barnabæ Epistola*. Quæ si ejus, cujus nomen præfert, non est, certè tamen est Christiani valdè veteris. In eâ Lector frequenter deprehendet γνῶσιν, nec nisi in optimam partẽ usurpari, ut p. 2. 3. 13. 21. 23. bis, 31. 37. 38. 42. Repete, quæ diximus §. 32. *d*, 11. Plura se sparsim oggerent, ubi post pauca de Gnostico Clementis & Evagrii ad §. 43. 44. commentandum fuerit.

1) γνῶσιν, & πίστιν *quomodo distinxerint quidã?*

2) *Clem. Alexand emendatus.*

b) † Equidem fuisse, qui sic distinguerent, ut γνῶσις esset de Deo *Patre*, πίστις de *Filio*, docemur à Clemente Alexandrino, cujus verba initio V. Stromatum: εἰσὶ γὰρ οἱ τὴν μὲν πίστιν ἡμῶν τοῦ ἑνὸς, τὴν δὲ γνῶσιν τοῦ ἑνὸς τοῦ πατρὸς εἶναι διαιρέλλοντες. † Pro πατρὸς impressum est πνεύματος, quod & in versione suâ secutus est Gentianus Hervetus, nec sollicitavit Heinsius. Sed ita ut voluimus, legendum esse dubitare vix poterit, qui sequentia perpendet. Ubi Clemens juxtà cum Filio crebram Patris, nullam Spiritus mentionem injicit. † Rectè autem ipse distinctiunculam istam ut futilem rejicit. Nam, inquit inter alia, ὅτι ἡ γνῶσις ἀπὸ πίστεως, puta si salutaris esse debeat, ἆρ' ἡ πίστις ἀπὸ γνώσεως. † Fuisse tamen, qui distinctionem istam alio sensu retentam cuperent, intelligi datur ex his *Varini* fol. 1509. Lexici: πίστις ἐστὶν ἀδήλων ἀβασάνιστος συγκατάθεσις, ὡς ἔλεγχος βλεπομένων (lege ἀ βλεπομένων, respicitur enim haud dubiè ad locum Ebr. 11. 1. ut omittam urgere oppositionem sequentium.) γνῶσις ἢ κατειλημμένων (scribe κατειλημμένων, ut est apud eundem Varinum f. 429.) ἀκίνδυνος συγκατάθεσις, ὡς ὁρωμένων ἔλεγχος. † Qui sic distinxerunt, voluerunt *fidem* (πίστιν) esse assensionem eorum, quæ non videntur; *notitiam* (γνῶσιν) contrà eorum, quæ videntur. Unde sequatur videlicet, ut assensio, illius quidem sit ἀβασάνιστος, experimento vacans, hujus autem ἀκίνδυνος, exquisitâ & accurata. † ἀκίνδυνος Græcis, perinde ut *curiosus* Latinis, vocabulum est ὄφελος. Alibi ponitur in vitio, (vide suprà §. 34. k. 6.) hîc certè in laude. Sic apud Aristotelem sub finem libelli de respiratione ἰατρῶν οἱ κομψοὶ καὶ ἀκίνδυνοι sunt exquisiti illi, &, quæ diligentissimorum familiaris esse appellatio cœpit, *curiosi*, qui neutiquam contenti superficiariâ naturalium arcanorum aut auritâ cognitione variis & mirandis experimentis oculatam fidem quærunt. † In hunc modum & isti apud Varinum γνῶσιν volebant esse rerum divinarum comprehensionem ἀκίνδυνον, h. e. oculatam & liquidam, πίστιν verò ἀβασάνιστον, quæ apud Varinum in sequentibus etiam est ἀπερίεργος h. e. minùs accuratam, nec ultrà fidem aurium evectam. † Putes ergò πίστιν eos dedisse (ut Scholasticorum vocabulis utar) *viatoribus*, γνῶσιν *comprehensoribus*. Illi enim per speculum in ænigmate vident;

(3

(4 *Varinus emendatus.*

(5

(6 περίεργος: *curiosus.*

(7

(8

hi verò de facie ad faciem, 1. Cor. 13. 12. Atque sic illa distinctio transeat. * Nam si per hæc duo Assensionũ genera Viatores ipsos inter se tanquàm gradibus quibusdam disparare voluerunt, nihil aliud dicendum supereſt, quàm flosculum hunc in Varini Lexicon, (ad quod infrà §. 52. lit. *e*. similia notabuntur,) migrasse ex horto alicujus Scriptoris Theologiæ mysticæ, ne dicam Enthusiastæ seu Massaliani. † Solebant enim & hi & isti gloriari, sanctam Trinitatem oculis sensibilibus intueri. Quod de Massalianis testantur Harmenopulus de Sectis p. m. 573. & Nicet. Chron. lib. IV. thes. hæres. 36. p. 398. de Mysticis verò Theologis Voet. c. 3. Exerc. piet. q. 14. p. 71. Qui mox q. 19. p. 76. rectè illis exprobrat, quòd attollant mysticam illam contemplationem suam suprà fidem, nec satis distinguant statum viæ & patriæ, unionem gratiæ ab unione gloriæ. Sed infrà pluribus agemus tùm de Massalianis §. 47. 48. tùm de mysticis Theologis §. 52. seqq.

10) *Visiones SS. Trinitatis.*

§. 42. Retinuerunt vocabulum τῆς γνώσεως Semichristiani quoque Platonici, ut Pseudo mercurius in Pœmandro *c*).

Pseudo-Mercurius Trismegistus.

c) Fictitium hunc Mercurium Trismegistum fuisse Christianum, vel potiùs Semichristianum, qui græcam è Platonis & Platonicorum doctrinis depromptam doctrinam Christianæ de libris sacris petitæ miscuerit, validissimis rationibus adstruit Casaubonus Exerc. I. ad Baron. Sect. 10. p. 55. 57. Idem p. 61. quos ex Pœmandro locus, licet aliud agens profert, quibus est mentio τῆς γνώσεως Eos inde huc transferemus. Τοῦτό ἐστι τὸ ἀγαθὸν τέλος τοῖς γνῶσιν ἐσχηκόσι θεωθῆναι. Et: ἤρξαμαι κηρύσσειν τοῖς ἀνθρώποις τὸ τῆς εὐσεβείας καὶ γνώσεως κλέος. Cæterùm de tempore scriptoris hujus non convenit. Casaubonus eum putat vixisse non multò post tempora Apostolorum. Non assentitur plané pl. Rev. Ursinus, ac potiùs eum in tempora Porphyrii, Plotini, Jamblichi rejicit, Exerc. de Zoroastre

Zoroastre & c. p. 147. 148. h. e. in seculum à Christo nato tertium.

§. 43. Initio *tertii* post Christum natum seculi Clemens Alexandrinus *d*), *quarto* autem plures alii, præsertim Evagrius Ponticus *e*), ipsum quoque *Gnosticorum* nomen, quasi possessoribus injustis *f* ereptum veris Christianis *g*) tribuerunt.

Gnosticus pro vero Christiano.

d) Sæpissimè in libris Stromatum. Quibus & nomen inde fecit κατ' ἐξοχὴν ἀληθῆ φιλοσοφίαν γνωστικὸν ὀνομάσατον, ut ex libri I. III. & V. verbis extremis observavit And. Schottus Schol. ad Phot. cod. CXI. f. 287.

e) *Didymus* (Alexandrinus) apud Antonium Scriptorem Melissæ lib. I. Serm. 50. f. m. 56. τὸν γνωστικὸν δὲ τὸ ἀξίωμα τῶν ἀποστόλων εἰς ταπείνωσιν ἄγει τῆς αἱρετῆς καὶ σοφίας αὐτὸν ὑποσυρούσης, καὶ ὑποδεικνὺς αὐτῶν ἴσως παρασκευάζουσης. Hunc eundem Didymum esse opinor, qui ὁ μέγας καὶ γνωστικὸς διδάσκαλος, h. e. vere tente Christophorsono, *doctor maximus, & in rerum divinarum contemplatione summus*, audit apud Socrat. IV. Hist. Eccl. 18. prope finem. Capitis hujus bona pars ex *Evagrii Pontici* duobus libellis, (de quibus plura §. seq. lit. l, 1.) mera continet excerpta, in iisque τῆς γνώσεως & τῶν γνωστικῶν eo sensu, qui esse minimè σωτηρικὸς, mentionem non infrequentem: inter alia & hoc *Athanasii* ex Evagrio proferens: γινωσκέτωσαν οἱ γνωστικοὶ, τίς ὁ πέων ἐστὶ καθ' αὐτῶν, καὶ πάντα πειρασμὸν γενναίως ὑπομενέτωσαν. Cui statim ex eodem subnectit illud *Serapionis Thmuttensis*: ὅλος ὁ νοῦς πεπωκὼς μὲν πνευματικὴν γνῶσιν τελείως καθαίρεται. Cæterùm Evagrium hunc Ponticum Origenis, Origenem Clementis Alexandrini discipulos fuisse, videbimus infrà §. 50 y. 3.

f) οἱ ἀπὸ παραδόσεως ψευδωνύμως γνωστικὴς σοφίας αὐτὸς ἀναγορευθέντες verba sunt Clementis III. f. 319. etiam Theodoreto advocata lib. I. hæret. fab. ubi de Prodico Idem Clemens II. Strom. f. 280. ed. Heinf. cùm γνωστικὸν suum, & paulò ante τῆς ἀψευδοῦς

τοῦ

τὸν Σίμωνα memoraviſſet, mox γνῶσιν (veram ſcil.) à ψευδεῖ γνώσει καὶ ὀνωνύμως καλουμένῃ, de quâ Paulus ad Timotheum loquatur diſtingvit. Jam & Epiphanius Gnoſticos hoc tàm illuſtri nomine indignos pronunciat, cùm init. hæreſ. 27. καταγνωστικὰς potiùs h. e. *condemnabiles* appellat.

g) Joach. Camerar. Diſp. de piis precibus p. 98. cùm Clementis Alexandrini verba quædam, in quibus mentio Gnoſtici, protuliſſet, gloſſam hanc ſubjicit: *Vocat* γνωστικὸν *eum, qui veritatis cognitione & ſcientiâ inſtructus religioſè colere ſtudet æternum Deum, quem uno verbo* Chriſtianum *appellamus*,

§. 44. Ac diſtinguebant quidem & ipſi ut γνῶσιν eximiam ab inchoatâ *h*), ita *Gnoſticum* ſuum, illâ ſcil. eximiâ γνώσει præditum ab *imperfectioribus* Chriſtianis *i*), h. e. ſive tanquam adultum à neophytis, & πνευματικὸν à σαρκικοῖς *k*), ſive tanquam unicè deditum contemplationi â vacantibus vitæ activæ *l*): veruntamen & hoc addebant, eſſe illum planè ἀπαθῆ *m*), tantumque non ἀναμάρτητον *n*), eum ut apparet in finem, quò in tantâ verborum ſimilitudine & doctrinam ſuam ab illâ hæreſi, & Gnoſticum ſuum ab illo ἐμπαθεστάτῳ genere Gnoſticorum, quantum liceret longiſſimis intervallis abſtraherent.

γνῶσις perfecta & imperfecta.

h) De hâc duplici γνώσει, *perfecta* & *imperfecta* poſteà per occaſionem ex Baſilio & Clemente lit. *m*. 4. 5. ad hunc ipſum §. & ex Varino §. 52. e. 5. aliquid dicetur.

Clerici & Laici.

i) Expendant eruditi, an non in hoc Alexandrini Clementis & aliorum inſtituto poni debeat ſcaturigo quædam, è quâ profluxerit illa ſub Papatu diſtinctio Chriſtianorum in *Religioſos & Seculares*, ſeu *Clericos & Laicos*, tanquam *perfectos & imperfectos*, hoc ipſo nomine paſſim à B. Luthero caſtigata. Similitudinem certè prodent ea, quæ commemoranda venient in ſequentibus.

k) In hunc ſenſum diſtinguit Clemens, & huc accommodat

dat diſtinctionem Pauli inter πνευματικὰς & σαρκικὰς, tùm alibi, tùm imprimis V. Strom. † Conſiderans enim ibi f. 420. 421. ed. Heinſ. locum Apoſtoli Coloſſ. 1. 28. νουθετοῦντες πάντα ἄνθρωπον ἐν πάσῃ σοφίᾳ, ἵνα παραστήσωμεν πάντα ἄνθρωπον τέλειον ἐν Χριστῷ: per πάντα ἄνθρωπον ait intelligi, (expoſitionem ejus affero, judicium de eâ relinquo Theologis) non *omnem ſimpliciter hominem*, cùm ſint certè quidam increduli: nec verò *credentem quemvis*: ſed *totum hominem*, ὅλον τὸν ἄνθρωπον, οἷον σώματι καὶ ψυχῇ ἡγνισμένον. Addit cauſam interpretationis, quia talia ſubjungat Paulus (Coloſſ. 2. v. 2. 3. & c. 4. v. 3. 4.) è quibus intelligi detur, ὅτι οὐ πάντων ἡμῶν γνῶσις, *quòd non omnibus* (Chriſtianis ſeu credentibus,) *contingat habere* γνῶσιν, eximiam illam puta, quæ perfectum & γνωστικὸν faciat. Statim enim cum his nectit locum Hebr. 5. v. 11. 12. 13. ubi *infantes*, quibus lac debetur, & *perfecti*, quibus ſolidus cibus, opponantur. † Cui loco ſimilem 1. Cor. 3. v. 1. 2. (nam & hîc mentio lactis & cibi, quorum illud πνευματικοῖς conveniat, hoc σαρκικοῖς καὶ νηπίοις ἐν Χριστῷ) in præcedentibus f. 407. tractans, cùm paulò ante πνευματικὸν καὶ γνωστικὸν feciſſet τὸν τελείως πνεύματος μαθητὴν, Apoſtolum ait τὴν γνωστικὴν τελειότητα (quam ita vocat & VI. Strom. f. 479.) diſtingvere ſic voluiſſe contrà τὴν κοινὴν πίστιν: & ipſe cibum (βρῶμα,) quem lacti oppoſuerat Paulus, cognominat γνωστικόν. † Reverſus poſteà f. 422. ad hunc ipſum locum ita in eum commentatur: τὸ μὲν γάλα τῶν νηπίων, τὸ βρῶμα ἢ τῶν τελείων τροφὴ κατὰ τὰς Ἐπιστολὰς εἴρηται. γάλα μὲν ἡ κατήχησις, οἱονεὶ πρώτη ψυχῆς τροφὴ νοηθήσεται. βρῶμα ἢ ἡ ἐποπτικὴ θεωρία. Et paulò pòſt βρῶσις γὰρ καὶ πόσις ἐστὶν ὄντως λόγος ἡ γνῶσις ἡ τῆς θείας οὐσίας. † Eundem locum anxiè quoque excutiens lib. I. Pædag. c. 6. f. 73. τὴν ἀρχὴν τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως tanquam νηπιότητα opponit τῇ δὲ τελείᾳ καὶ γνωστικῇ (ſeu ut loquitur lib. V. Strom. f. 413. πνευματικῇ καὶ τελείᾳ) μετὰ τὴν βρῶσιν ἀναπαυσει.

(1 πνευματικοὶ & σαρκικοὶ.

(2

(3

(4

(5

παυτη. Et procedente Sermone σαρκικὲς interpretatur τὲς νεωστὶ κατηχημένης: πνευματικὲς verò τὲς πεπιστευκότας ἤδη τῷ πνεύματι. Mox σαρκικὲς iterum νεοκατηχήτες vocat καὶ μηδέπω κεκαθαρμένες: & γνῶσιν illis tribuit quidem, sed τὴν ἐκ κατηχήσεως.

6) † Etiam lib. VII. Strom. f. 523. opponit τὸν γνωστικὸν τοῖς καθ' ὁτιοῦν πεπιστευκόσι.

7) † Sunt ergò Clementi Synonyma γνωστικὸς, τέλειος πνευματικὸς sicuti vicissim νήπιος, σαρκικὸς, ψυχικὸς. Sanè enim γνωστικὲς & ψυχικὲς contradistinguit I. Pædag. 6. f. 71.

8) quod ammodò & VI. Strom. f. 407. † Confer quæ de differentiâ πνευματικῶν & ψυχικῶν, qui & κοσμικοὶ (der Geistlichen und Weltlichen) inter ipsos olim Christianos usitatâ differit Salmasius præf. ad Lect. de fœn. trapez. quæ item de discrimine inter Pædagogum Clementis & libros Stromatum ex Magdeburgensibus afferemus in fine lit. *m.* ad hunc ipsum §.

1) *Evagrii Pontici duo libri, Socrates emendatus.*

l) † Sic Evagrius Ponticus videtur distinguere voluisse, cùm (apud Socratem IV. Hist. Eccles. 18.) duobus à se scriptis libris nomina inderet, uni quidem μοναχὸς ἢ περὶ πρακτικῆς, alteri γνωστικὸς ἢ περὶ τῶν καταξιωθέντων γνώσεως. Sic enim legendum ex Suidâ in Μακάριος, hunc ipsum Socratis locum describente, pro quo librarii f. m. 661. perperàm ediderunt, ἢ τὸν καταξιωθέντα γνώσεως. † Altero igitur libro *practicum* hominem effigiavit Evagrius, altero *gnosticum*, h. e. theoreticum, quem DEUS secretâ divinarum rerum intelligentiâ dignatus esset supra cæteros, qui quotidianis operis se fatigantes non possent æquè speculationibns immergere animum.

2) *Vita Practica & Theoretica.*

3) † Ex *Practico Evagrii* Socrates f. 662. introducit Monachum quendam de familiâ *Gnosticorum* (τῆς παρεμβολῆς τῶν γνωστικῶν) probatissimum, qui prope Alexandriam habitaverit, de quinque finibus, ob quos πάντα τὰ περιπίπτοντα ὑπὸ τῶν Μοναχῶν agerentur, differentem. (An hic locus Socratis fefellit Cramerum, cùm Theodoretum lib. IV. c. 23. apud quem tamen nihil

nihil tale reperio, facit conquerentem de Monachis quibusdam circà Alexandriam, qui fuerint de sectâ Gnosticorum? p. 172. Hæreseolog.) † Ipsorum ergò Monachorum alii *Gnostici* alii *Practici*. Et *Gnostici* fortasse *Anachoretæ*, qui concedentes in deserta, singulique ab omni hominum consortio se exuentes nihil aliud videlicet reliquerant sibi præter speculandi necessitatem; *Practici Cœnobitæ*, qui viventes in commune statum opus quotidiè peragebant. † Hæc duo Monachorum in Ægypto genera. *Anachoretas* inquam & *Cœnobitas* memorat Hieronymus ad Eustoch. de custod. virg. Tom. I. Oper. f. m. 67: duobus his tertium addens quidem, quod ait linguâ gentili *Remoboth* dici (Cassianus Collat. 18. c. 4. & 7. item Pseudo. Augustinus, Serm. 21. ad fratres in Eremo Tom. X. f. 1314. *Sarabaitas* vocat,) sed simul tanquam pestem quandam exterminans. Unde & Sarabaitæ augent Catalogos hæreticorum Bernhardi Luzenburgensis, Prateoli & Petreji. † Probabile autem est, Evagrium, qui utriusque Macarii Ægyptii discipulus fuerit, ad illa duo Monachorum in Ægypto probata per id tempus genera, Anachoretas inquam & Cœnobitas, cùm inter Gnosticum & Practicum suum distingueret, respexisse. Sed nihil tamen definio.

(4 *Anachoretæ & Cœnobitæ.*

(5

Sarabaitæ.

(6

m) † Clemens VI. Strom. f. 468. διὸτ' ἂν ὁ γνωστικὸς, ὡς μόνοις τοῖς διὰ τὴν μονὴν & σώματος γινομένοις πάθεσι περιπίπτειν, οἷον πείνῃ, δίψῃ καὶ τοῖς ὁμοίοις. Et f. seq. ἐξαιρετέον ἄρα τὸν γνωστικὸν ἡμῖν καὶ τέλειον ἀπὸ παντὸς ψυχικοῦ πάθους. ἡ μὲν γὰρ γνῶσις συνάσκησιν, ἡ δὲ συνάσκησις ἕξιν ἣ διάθεσιν ἡ κατάστασις ἣ ἡ διάδεσις ἀπάθειαν ἐργάζεται, & ὑστερον ἀπάθειαν· ἀπάθειαν ἣ καρπῶται παντελὴς τῆς ἐπιθυμίας ἐκκοπή. † Heinsius in Annot. ad Clem. fol. 45. hæc ita accipit, quasi voluerit Clemens Gnosticum *exemplum esse sine exemplo, ad quod quilibet contendat, nemo tamen hactenus expresserit: quale sit & Stoicorum sapiens* λογοφώρητος: *quem*

(1 *ἀπάθεια.*

(2 *Heinsii judicium expensum de ἀπαθεία Gnostici apud Clementem.*

3) *quem illi quoq; velint esse ἀπαθῆ, planè ut Clemens suum Gnosticum.* † Fateor inclinare hunc extremum cap. 6. lib. I. pædag. quanquam Heinsius nullum ex Clemente testimonium profert. Sed quid faciemus tot aliis locis, toto pænè lib. V. Stromat. occurrentibus, quos excussimus lit. k. ubi γνωστικοὶ altera certè sunt pars Christianorum, qui ultrà τὰς νεοκατηχήτους profecissent, essentq; de πρωτοῖς facti πνευματικοὶ. Non erant illi ergò Gnostici meræ in cerebro Ideæ. † Jam & qui seculo post Clementem scripserunt τὰς ἀπαθεῖς non minus quàm εὐπαθεῖς tanquam compertos sibi & exploratos memorant. Basilius apud Socratem IV. 18. f. 662. in excerptis ex Evagrii Gnostico, cùm duplicem γνῶσιν constituisset unam ἀπ' ἀνθρώπων ἀπισυμβαίνουσαν, alteram τὴν ἐκ θεοῦ χάριτος ἐγγινομένην, addit: καὶ τὴν μὲν πρώτην δυνατὸν καὶ τὰς εὐπαθεῖς ἐπιδέξασθαι, τῆς δὲ δευτέρας οἱ ἀπαθεῖς μόνοι εἰσὶ δεκτικοὶ, οἱ πᾶσαν ἢ κατὰ τῆς πρόσληψης τὸ οἰκεῖον φέγγος ἐκ νοὸς ἀφιλάμπον αὐτὸς θεωροῦσι. † Duplex illa γνῶσις, ut hoc obiter addam, etiam Clementi nota est. Alteram vocat τὴν ἐκ κατηχήσεως, alteram, quæ faciat τὸν ἐξ ἁγίου πνεύματος μαθητὴν. Loca Clementis quære suprà lit. k. ad hunc §. n. 3. & 5. † Sed de ἀπαθείᾳ pergendum est. De Evagrio Hieronymus Epist. ad Ctesiph. Tom. III. op. fol. 115. *Evagrius Ponticus Hyperborita edidit librum & sententias περὶ ἀπαθείας, quam nos impassibilitatem vel imperturbationem possumus dicere, quando nunquam animus ullo perturbationis vitio commovetur, & ut simpliciter dicam, vel saxum, vel* DEUS *est.* * Omnium primum eorum, quæ ex Evagrio excerpit Socrates, ipse huic opinioni haud occultè favens, hoc est f. m. 661. *Viæ illæ* (placet enim latinè adscribere) *quibus Monachi ante nos institerunt, sunt nobis necessariò indagandæ. Nam multa ab illis sunt & prudenter dicta & acta præclarè. Ex quorum numero unus dicebat, aridiorem tenuioremq; victus rationem, eamq; semper æquabiliter observatam, modò cum charitate*

tate jungeretur, Monachum brevi ad portum ἀπαθείας perducturam. (8
* Qui ἀπάθειαν sibi proposuerunt pro portu, persvasi utique fuerunt, eam attingere se posse. Non disputo, an potuerint, ajo tantùm, fiduciam ejus rei habuisse. Non quæro, quales fuerint, tantùm quales se crediderint, investigo. * Credebant autem & Stoici, ut ille apud Gellium lib. XIX. c. 1. se esse ἀπαθεῖς.] Hieronymus lib. II. adv. Pelag. (Tom. III. oper. f. 129.) *quibus* (perturbationibus) *ad perfectum carere, juxtà Stoicos, Zenonem videlicet & Chrysippum, possibile esse.* * Idem ad Ctesiphontem (III. op. f. 114.) inducit quosdam, qui & ipsi ἀπάθειαν atque ἀναμαρτησίαν creparent, quæsitos, qui sint illi, quos absque peccato putent? respondisse: *se non eos dicere, qui sint vel fuerint, sed qui esse possint.* His saltem putes forte Gnosticum illum ἀπαθῆ fuisse παράδειγμα λογοθεώρητον. Verùm reclamat Hieronymus, cùm talem ἀνεφθαξίτην sic alloquitur posteà (f. seq.) *Nosti, quid intrinsecus discipulos tuos doceas, aliud ore commemorans, & aliud celans conscientiâ.* Nimirum credebant hi, se revera ad illum τῆς ἀπαθείας portum perveniisse. * Transiit hæc (11
persvasio usque ad seculi nostri Monachos. Cui probando vel unum testimonium sufficerit, Edidit Anno 1621. Coloniæ Petrus Garnefelt Carthusianus Elucidationes, ut vocat, sacras in quinque libros de Imaginibus antiquorum Eremitarum. Is ubi p. 645. ad *Apathiam* seu Indolentiam venit, hæc fatur: *Potens est DEUS quibusdam electis suis donare præstantissimas virtutes, quibus illi benè utantur. Non enim ullis terminis divina bonitas coarctatur. Ita B. V. Mariæ data est virginitas penetrativa, ut vocant, ex quâ provenit, ut qui illam, licet speciosissimam, intuerentur, non nisi castissimè sese affectos sentirent. Et S. Josepho ipsius virgineo Sponsotributum est donum infrigidationis ut appellant, ita ut nullos in carne suâ illicitos motûs pateretur, neq; ullas in animo turpes affectiones. Atq; hoc idem donum etiam aliis pluribus concessum legimus credimusq;, ut e. g.*

12) *sancto Simeoni Salo, Serapioni Syndonitæ, acreliquis sexcentis.* * Faciunt hæc omnia, minùs ut assentiar Heinsio, putanti Gnosticum ἀπαθῆ Clementis ab eo propositum fuisse pro ideâ, cujus exemplum non possit dari, ne in sacris quidem literis. *

13) *Item de discrimine inter Pædagogum & Stromata Clementis.* * Quo factum est, ut *Stromatum* & *Pædagogi* Clementini alia, quàm oportebat, discrimina propalaret nobis: *in Stromatum libris, ut Plato Remp. ita Gnosticum* λογοθεώρητον *descripsisse, h. e. planè* ἀνυπόθετον: *at in Pædagogo, sicut in Politicis ab Aristotele, omnia dici* πρὸς ὑπόθεσιν. * Verum discrimen diu ante Heinsium Magdeburgensibus notatum fuit, quorum verba visum est adscribere ex Cent. II. cap. 10. f. 192. *In* Pædagogo *recens conversi hominis quasi pueri cujusdam mores diligenter format, quod & nomen ipsum profitetur. In* Stromatibus *tùm veritatis uberiorem cognitionem, veluti solidiorem cibum, tanquam jam maturo viro suppeditat: tùm & errores tetriores refutat, admixtâ etiam Philosophiæ & Poëtarum doctrinâ.* * Hoc judicio planè confirmatur ea, quæ suprà l. *k.* de discrimine inter *Gnosticum* & Christianum *imperfectam* è sententiâ Clementis tradidimus.

14) ἀναμαρτησία. *n*) Clemens lib. VI. Strom. f. 479. cujus locum apponemus latinè: *Precatur ergò* Gnosticus *etiam cogitatione omni horâ, per charitatem Deo familiaris effectus. Et primùm quidem petet remissionem peccatorum, postea* non ampliùs peccare, *deinde posse benè operari, & omnem, quæ facta est per Dominum creationem & dispensationem intelligere, ut mundus corde effectus per agnitionem, quæ per filium Dei, initietur ad beatam contemplationem à facie ad faciem* (respicit ad dicta Matth. 5. 8. & 1. Cor. 13. 12.) *exaudiens Scripturam, quæ dicit: Bonum est jejunium cum oratione* (Tob. 12. 8.) *Jejunia autem significant* omnem simpliciter abstinentiam ab omnibus malis, tàm quæ actu fiunt, quàm quæ verbis & ipsâ cogitatione. *ergò, ut videtur, justitia quadrata, omni ex parte æqualis & similis, in verbo, in facto, in abstinentiâ à malis, in bonis operibus,* in perfectione

ctione gnosticâ nusquam ullo modo claudicans, *ne videatur injusta & inæqualis.* Hæc ergò Clemens. De Evagrio similia constabunt nobis §. 50. v. 3.

§. 45. At enim verò hâc ratione prolapsi sunt, aut saltem nutavetunt in alterum extremum, & incautis loquendi formulis, quas studium τῆς ἀϑολκῆς elicuerat, Religionem quasi ab obscœnarum *libidinum* profundo deduxerunt in contraria juga *propriæ sanctitatis & Enthusiasmi.*

§. 46. Accedebat, inprimis in Clemente, amor Philosophiæ *Platonis ac Pythagoræ o)*, in hanc partem valdè propendentium *p)*, & securitas ab hæresi, quæ Ecclesiam nondum afflixisset.

o) † Nonnullos ex veteribus Theologis, maximè Græcis, (1
πλατωνίζειν, in genere observat Rivetus Tract. procem. Crit. sacr. c. 9. p. m. 62. resque tàm clara est, ut negari, nisi ab imperitissimis non possit. † Huc eos abripuit genius ævi sui, *Platonem* unicè admirantis. quæ fors eadem postea, conversis rerum vicibus, in orbe Latino, & inter Scholasticos *Aristotelem* excepit. (2
† Sed ad Clementem sigillatim quod attinet, quantâ is veneratione *Platonem*, & ob affine philosophandi genus, *Pythagoram* habuerit, scripta ejus passim loquuntur, quæ non laudibus modò, sed ipsis dogmatibus horum duum virorum referta sunt, maximè dum in eo est, ut Gnosticum suum delineet. Juvat hîc tantùm à V. Strom. fidem dictis facere. † (3
Fol. 400. cùm ὅτι τῆς γνώσεως ϑεὸς citat Apostolum ex 1. Cor. 13. 12. & Mosen (vel potiùs Deum ipsum ἀϑρόως σώπως loquentem,) Exod. 33. 20. utrique testem interponit Platonem ex Epinomide: paulòque pòst γνῶσιν illam ϑεοῦ, cujus docendæ gratiâ missus fuerit Salvator, vocat καταλῆψιν τῶν ὄντων, phrasi Platonicâ magis, quàm Christianâ. Sunt enim Platoni & Pythagoræ τὰ ὄντα, ut docuimus §. 13. 14. idem quod τὰ νοητὰ, quę & ipsa

Clemens Alex. Platonis & Pythagoræ studiosus.

& ipsa frequenter eo in libro crepat Clemens, & τοῖς ἀθέοις opponit. † Fol. 407. ubi maximè Gnosticum suum ab imperfectioribus separat, ad Symbola quædam Pythagoræ interpretanda dilabitur, fol. seq. hoc inferens: καὶ ὅλως ὁ Πυθαγόρας καὶ οἱ ἀπ' αὐτὸν καὶ Πλάτωνι, μάλιστα τῶν ἄλλων Φιλοσόφων σφόδρα τῷ νομοθέτῃ (Mosi) ᾠκείωσαν, ὡς ἔστιν ἐξ αὐτῶν συμβαλέσθαι τὰ δογμάτων. † Fol. 422. & 427. Plato ipsi est φιλαλήθης. † Excusat quidem sanctos Patres quodam modò studium Ecclesiæ vel propagandæ, si Gentiles evehendis ipsorum Philosophis, (Platonem autem ea tempora furiosè deperibant,) allicere possent: vel à contemptu saltem vindicandæ, si ostenderetur, Platonem & Pythagoram suos agros quasi de Mosis & Prophetarum fontibus irrigâsse. Verùm docuit eventus, hanc Theologica studia tractandi rationem ad nihil magis profuisse, quàm ut ex Gentilibus fierent Semichristiani, ex Christianis Semigentiles, novæque subinde ac novæ hæreses ad imbrem Platonicum feliciùs progerminarent.

5) 6) 7)

Pythagoras an ἀπύθεκτα docuerit?

p) Dictum est in hanc rem jàm aliquid ad §. 38. t. 1. ac dicetur porrò de *Platone* §. 52. d. 33. 70. Hîc de *Pythagorâ* est aliquid Lipsio respondendũ, qui ubi lib. III. Manud. ad Stoic. Philos. dissert 7. p. m. 120. locum Hieronymi adv. Pelag. protulisset: omnes affectûs tolli posse, omnesq; eorum fibras, àPythagorâ & Zenone Pelagianos hausisse, (similia ex Hieronymo dabimus §. 50. v. 3.) *De Zenone*, inquit, *fatemur de Pythagorâ, & hunc planissimè contrà sensisse discipulorum ejus scripta docent.* Verùm cùm alios testes advocare hîc Lipsius nullos possit, quàm Pythagoræos illos, quorum fragmenta sunt apud Stobæum; utamur hoc argumento nos potiùs ad confirmandam sententiam, illam quâ nuper post Celeberrimum Conringium fragmenta illa τῆς νοθείας suspecta reddidimus Disp. I. de quat. virt. Cardin. §. 20. 21. quàm abutamur ad illnd negandum, quod

Pythagoræorum fragmenta apud Stobæum.

quod & Hieronymus tribuit Pythagoræ, & ex hujus hypothesibus haud difficulter sequi, promptum est ostendere.

§. 47. Sed hæc paulò pòst infelicis consilii damnum sensit, cùm seculo Christiano *quarto* Massaliani, quos & Enthusiastas appellatos novimus *q*), sub initium *quinti* etiam Pelagiani *r*) emergerent.

Massaliani.

q) Tradunt Massalianos idem sonare lingvâ Syrâ, quod Græcâ εὐχήτας, h. e. *Precatores.* Utrumque nomen his hæreticis datum, quòd omni opere alio sibi interdicentes perpetuis precib⁹ unicè vacandum esse scisserent, abusi præcepto Christi Luc. 18. 1. Vide an aliquid ipsis occasionis quoque præbuerit illud Clementis, quod descripsimus ad §. 44. lit. *n.* Non ignoro tamen, àPsello sic describi Euchetas, ut qui ipsissimas Gnosticorum, quos & cum ipsis nominat p. 18. de operat, dæm. ex emend. Gaulmini, impuritates suas fecerint. Cæterùm *Enthusiastas* vocatos etiam fuisse memorant Theodoret. lib. IV. hæret. fab. f. m. 440. & ex eo Nicetas IV. thes. orth. fid. p. 396. Harmenop. de sectis p. 571. Psell. d. l. p. 5. Nec absre: *dæmonis enim vi correpti eam Sancti Spiritûs esse opinantur,* Harmenop. p. 573. Cui adde, quæ de jactatis visionibus ipsorum retulimus ad §. 41. p. 10. Ipsi verò *Spirituales* se appellaverunt. *Nullum opus,* ait iterum Theodoretus f. 439. *agere dicuntur, vocant enim se ipsos Spiritales.* Cum his conferenda quæ ad §. 44. lit. *k.* de πνευματικοῖς, & mox lit. *l.* de distinctione Gnosticorum contrà Practicos diximus.

Pelagiani Manichæis contrarii.

r) *Manichæos* & *Pelagianos* certâ ratione extremè oppositas esse sectas, cùm alteri à regiâ viâ inclinarent ad sinistram, alteri ad dextram, innuit Hieronymus præf. Dialog. adv. Pelag. (Tom. III. Oper. f. 1. 18.) Nimirum *illi* ex homine Diabolum faciebant, *hi* Deum. Utrique surculus Gnosticorum; sed *illi* veterum, *hi* recentiorum, h. e. eorum, quod in contrari-

am faciem reformarant Clemens, Evagrius, horumque ſimiles alii.

§. 48. Utrique ſanè à monachis oriundi *s*), hominem in hoc ſeculo *ſine peccato*, quodque ipſis perinde fuit, *ſine affectu* vivere poſſe defenderunt *t*).

Monachi.

s) Tali videlicet hominum genere, quod præter cæteros affectavit ſemper ſanctitatem plusquàm humanam. Ac *Pelagium* quidem Britonem, dictæ ab ſe hæreſeos auctorem, fuiſſe monachum, notum eſt vel ex Auguſtino c. 88. de hæreſ. *Maſſalianos* autem à Monachis, qui ſolitudinem Meſopotamiæ incolebant, prodiiſſe fatetur Baron. ad ann. 361. n. 35. (Tom. III. Annal. f. 885.) Quibus Monachis quàm ſimiles fuerint illi ſanctuli, quos ſub regno Antichriſti Romani angelicæ vitæ præſumptione admiratus eſt orbis, facilè intelliget, cui libuerit inſtituere collationem. Non malè Danæus hæreſin Maſſalianorum fundamentum facit Monachiſmi ſub Papatu ſtabiliti, ad c. 57. Auguſtini de hæreſ. pag. 168.

ἀναμαρτησία.

t) De *Maſſalianis* Hieronymus præf. Dialog. adv. Pelag. (III. op. f. 118.) *Quorum omnium iſta ſententia eſt, poſſe ad perfectionem, & non dicam ad ſimilitudinem, ſed æqualitatem Dei humanam virtutem & ſcientiam pervenire, ita, ut aſſerant, ſine cogitatione quidem & ignorantiâ, cùm ad conſummationis culmen adſcenderint, poſſe peccare*, Harmenopulus de ſectis p. 572. Maſſalianorum dogmatibus hoc accenſet: καὶ ὕστερα τὴν γενομένην τοῖς αὐτῶν τελειστέροις ἀπάθειαν ὑπὸφοιτᾶν αὐτοῖς ὁρατῶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ τῆς τῶν παθῶν κινήσεως τὸ σῶμα ἐλεύθερον. Vide & Nicetam lib. IV. Theſ. orthod. fid. hær. 36. p. 383. 394. 398. de *Pelagianis* ſufficiat hîc audire Auguſtinũ c. 88. de hæreſ. *In id etiam progrediuntur, ut dicant vitam juſtorum in hoc ſeculo nullum omninò habere peccatum.* Plura ſuggeret Hieronymus Dialogis adverſùs Pelagianos.

§. 49. Qui errores in his per Eccleſiam damnati *u*) non debuerunt

buerunt cenſuram prorſùs omnem effugere & in aliis.

ἀναμαρτησίας opinio damnata.

u) De ἀναθεία damnatâ videbimus §. 51. Hîc aliquid de ἀναμαρτησία. Strigelius hypomnem in illud Pſalmi 143. *Non intres in judicium cum ſervo tuo*, inter alia ſic commentatur f. 690. *Origenes, & qui eum ſequuntur, eludunt tales ſententias hâc cavillatione: Dicunt, ſanctos repræſentare alienam perſonam, cùm ſibi tribuunt peccatum. Contrà hanc cavillationem, vel potius calumniam teneatur inſigne dictum Auguſtini in lib. de Eccl. dogm. c. 37. Sancti ſeriò, & in ſuâ perſonâ orant:* Dimitte nobis debita noſtra. *Anathema ſit contrà ſentiens, & fictionem hâc in parte ſanctis tribuens.* Eundem Auguſtini locum iisdem verbis recitat Strigelius ad Pſalmum quoque 42. f. 152. & ad I. Reg. 8. f. 235. quanquam hoc eſt ſenſum potiùs, quàm verba ſervare. Auguſtini enim, vel Gennadii potiùs (nam perperam legi hunc libellum inter Auguſtini opera dudum obſervatum eſt,) hæc ſunt, c. 36. de Eccleſ. dogm. (Tom. III. oper. f. m. 201.) *Quicunq; dixerit in oratione Dominica, ideò dicere ſanctos:* dimitte nobis debita noſtra, *ut non pro ſe ipſis hoc dicant, quia non eſt eis jam neceſſaria iſta petitio, ſed pro aliis, qui ſunt in ſuo populo peccatores, & ideò non dicere unumquemq; ſanctorum:* dimitte mihi debita mea, *ſed*: dimitte nobis debita noſtra, *ut hoc pro aliis potiùs, quàm pro ſe juſtus petere intelligatur, anathema ſit.* Et c. 37. *Quicunq; ipſa verba Dominicæ Orationis, ubi dicimus:* dimitte nobis debita noſtra, *ita volunt à ſanctis dici, ut humiliter, non veraciter, hoc dicatur, anathema ſit.* Tollenda negandi particula ex c. 35. licet eam nec Elmenhorſtius Gennadium edens deleverit. *Quod ait Sanctus Johannes Apoſtolus* (1. Joh. 1. 8.) Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, *quisquis ſic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem* (non) *oportere dici, nos non habere peccatum, non quia veritas eſt, anathema ſit.* Ad rem ipſam plura ſuggerent notæ Elmenhorſtii ad hæc tria Gennadii capita p. 139.

§. 50. Quapropter ut *Evagrium*, quanquam similes ipsi laudatores *x*) non desint, rectè castigat Hieronymus *y*): ita jure non minori Magdeburgenses *z*) *Clementis Alexandrini* nævis annumerantillos ejus Gnosticos.

Evagrium.

x) Hi sunt Gennadius, Palladius, Socrates, Sozomenus apud Vossium II. de Histor. Græc. 18. p. 256. Quibus adde scriptorem vitæ Evagrii, quæ habetur lib. II. in vitis Patrum c. 27. cui Evagrius à *Spiritualium rerum scientia* (ab illâ scil. suâ γνώσει,) *& incredibili abstinentiâ* (ut quæ rectà duceret in portum τῆς ἀπαθείας, suprà §. 44. m. 7.) suprà modum commendatur, referente Miræo Tom. I. Bibl. f. 46.

1) ἀπάθεια ab Hieronymus damnat.

y) † Videnda Epistola ad Ctesiph. quique illi sebnectuntur Dialogi adversùs Pelagianos (Tom. III. oper. f. 114. seqq.) ubi Stridonensis Pater totus est penè in evertendâ Pelagi ἀπαθεια καὶ ἀναμαρτησία. † Quam initio statim Epistolæ testatur de Philosophorum (gentilium) & maximè Pythagoræ & Zenonis principis Stoicorum fonte manâsse. E Christianis autem Ante cursores hâc in re Pelagio tùm alios dat, tùm Evagrium Ponticum f. 115. & 118. † Hîc tantùm ejus adscribemus verba ex proœm. Comment. IV. in Jerem. (Tom. V. oper. f. 143.) *subitò hæresis Pythagoræ & Zenonis* ἀπαθείας καὶ ἀναμαρτησίας, *id est, impassibilitatis & impeccantiæ, quæ olim in Origene* (huic inter Præceptores dant etiam Clementem Alexandrinum,) *& dudum in discipulis ejus Grunnio.* (Rufinum hoc nomine designari docet Baron. ad ann. 410. n. 63. Tom. V. Annal. f. 342.)

2)

3)

4)

Evagrioq; Pontico, & Joviniano jugulata est, cœpit revivisscere † Plures, qui Evagrium, aliosque Origenistas, ut Didymum Alexandrinum, damnaverint, suggeret Vossius de Histor. Græc, p. 256. 257.

Gnosticus Clementis Alexandrini.

z) Cent. II. c. 10. f. 194. *Infectatur quidem noster Clemens hæreticos* Gnosticos, *& meritò: sed interea fingit ipse nescio quos* Gnosticos *in Ecclesiâ, & Apostolos, & similes, quibus omnium rerum notitiam, & tantam perfectionem ac innocentiam, quanta in Angelis est, tribuit,* & c. Non multùm absimile judicium est Crameri sub Gnosticis p. 172. Hæreseolog.

§. 51. Et sunt aliàs in medio τῆς ἀπαθείας sive ab Ethnicis sive à Christianis scriptoribus defensæ multorum de Ecclesiâ gravissimæ condemnationes *a*).

a) † E multis paucas adscribam Lactantius extremo c. 14. lib. VI. contrà Stoicos disputans *propositum* illud τῆς ἀπαθείας *arrogans & penè furiosum* vocat. Et c. 17. ait: *Quare nihil aliud dixerim quàm insanos, qui hominem mite ac sociale animal orbant suo nomine, qui evulsis affectibus quibus omnis constat humanitas, ad immobilem stuporem mentis perducere volunt, dum student animum à perturbationibus liberare, &, ut ipsi dicunt, quietũ tranquillumq; reddere. Quod fieri non tantùm non potest, quia vis & ratio ejus in motu est, sed ne oportet quidem.* † Augustinus Tract. 60. in Joh. (Tom. IX. oper. f. 404.) *Pereant argumenta Philosophorum, qui negant, in sapientem cadere perturbationem animorũ. Habeant eas justis de causis animi Christiani, nec Philosophorum Stoicorũ, vel quorumcunq; similiũ consentiatur errori. Qui profectò quemadmodùm vanitatem existimant veritatem, sic stuporem deputant sanitatem, ignorantes sic hominis animum, quemadmodùm corporis membrum desperatiùs ægrotare, quando etiam doloris amiserit sensum.* † Prosper lib. III. de vitâ contemplat. p. 31. *Nec audiendi sunt Stoici, qui eas* (perturbationes) *penitùs eradicari posse & debere contendunt.* † Ne quidem ex Pontificiis hîc patroni defuerunt veritati. Trithem. in Catal. Script. Eccl. de Joanne Climaco agens p. m. 12: *In quibusdam,* inquit, *locis maximè ubi de hominis spiritualis mortificati impassibilitate tractat, à modernis reprehenditur, sicut apud Johannem de Gerson in certis tractatibus invenitur.* † Legi autem potest Gerson Epist. ad Barthol. Carthus. super tertiâ parte libri Ruysbroech de ornatu spirit. nupt.

(1 ἀπάθεια rejecta à Lactantio,

(2 Augustino,

(3 Prospero,

(4 Trithemio,

(5 Gersone,

nupt. & admon. brevi quomodo cautè legendi sunt quorundam libri. Utrumque opusculum extat Part. I. Oper. Gerson. ubi vide Alphab. XVI. lit. A. & XIX. lit. K. † Ad nostros venio. Lutherus præf. in vitas patrum, ipsius consilio per Georg. Majorem purgatas: *Pelagiani & Origenistæ* (quales Evagrius & Ruffinus vitarum quarundam conditores,) *urgent Stoicas apathias, & nescio quas perfectiones. Quàin re & Augustino fecerunt negotium. Contrà Orthodoxi media & regiâ viâ incedentes nec peccatis indulgent, nèc perfectiones sibi arrogant.* † Philippus Melanchthon cùm alibi passim Stoicorum ἀπάθειαν rejicit, tùm in libello de Animâ. Et hîc quidem disputationẽ Stoicis eâ de re oppositam his verbis claudit p. m. 115. *Hæc recitavi, ut, cùm multa legantur etiam apud Scriptores Ecclesiasticos, ineptè scripta de ἀπαθεια, ne juniores probent illas κακοζηλίας.*

6) *Lutherus.*

7) *Philippus.*

§. 52. Quibus censuris simul φρενικὰ quædam ἀνήσυατα Doctorum *Theologiæ Mysticæ* (solet hæc distingui contrà *Scholasticam,*) quorum Antesignanus fuit Pseudo Dionysius Areopagita *b*) Scriptor Clemente Alexandrino posterior *c*), censenda sunt notari. Tantò magis, quia doctrinam illi suam ab ἀπαθεια virtutum *purgatoriarum*, ut agnoscas *Platonicæ* scholæ traducem auspicari solent *d*). Ac nescio an non *Gnosticum* Varino *e*) descriptum in tribus ipsorum gradibus secundæ perfectionis hominem ponere debeam.

Theologiæ Mysticæ primus scriptor Dionysius.

b) Primus hic ab omni antiquitate est, qui Mysticam Theologiam scripserit. Habetur ea capitibus quinque comprehensa. Scholiis aut Paraphrasibus illustrârunt Maximus Constantinopolitanus, Georgius Pachymerius, Vercellensis Abbas, Rupertus Linconiensis, Albertus Magnus, Dionysius Carthusianus, Ambrosius Calepinus, Marsilius, Ficinus, Corderius Vide Sandæum p. 649. Theol. myst. Labb. Tom. I. de script. Eccl. p. 260. Voet. de Exerc. piet. p. 45. &

45. & 80. Joannis Erigenæ quoque, (de quo plura dicemus hôe §. d. 39.) librum in Theologiam mysticam, & Adami de Mariscо, (qui in Theologiâ Mysticâ præceptorem habuerit Abbatem Vercellensem,) paraphrases in Dionysium Areopagitam indicet Pitheus descript: Angl. p, 169. & 336. Novissimé in Mysticam Dionysii Theologiam Carolus Herfentius apparatum, Interpretationem, Commentarios & Paraphrases edidit Paris. A. 1616. in 8. qui passim Perionii quoque versionem citat.

c) Siquidem citat Clementem. Vide Rivet. Crit. sac. lib. I. c. 9. & 10. p. m. 157. 160. 161. *Pseudo-Dionysium Hierarchiæ cœlestis fabricatorem plerique cordatiores seculo quinto, aut Theodosii junioris, vel extremis B. Hieronymi temporibus vixisse censent,* ait CL. popularis meus Jo. And. Bosius c. 5. Exerc. philol. ad II. Tim. 2. 22. p. 27. Cujus Viri unius testimonium mihi pro compendio est eorum omnium, quæ de ætate Dionysii à plurimis ex vero sunt discussa.

Commentitius est.

d) † Congeram hunc in locum varia, quæ ad *Mysticæ Theologiæ*, quatenus ea sapit enthusiasmum, initia prima & naturam rectiùs pernoscendam facere videbuntur, eo ordine, quo quidque prius sub acumen styli venerit: eâ copiâ, ut calamo interdum licentiam indulgeam, in alia quædam, argumento propinqua, evagandi. † Quærit Gisb. Voet. c. 3. de Exerc. piet. inter alia p. 82. *Unde potissimùm cacoethes isto modo theologizandi ortum sit?* Et respondet: partim *ex odio corruptionis sui seculi*: partim *ex fastidio sterilis illius, verbosæ, ac rixosæ Theologiæ*: partim *ex admiratione & experimentis contemplativorum, quæ jactabant sive studio fallendi, sive quòd ipsi deciperentur à melancholicis & morbidis deliriis suis, non rarò etiam à Diabolicis illusionibus.* Tres ergò causæ allegantur: *prima* odium corruptæ vitæ; *secunda* fastidium rixosæ Theologiæ; *tertia* experimenta quædam,

(1 *De Theologiæ Mysticæ origine.*

(2 *Gisb. Voetii sententia expensa.*

3) quædam, sed suspecta. † Si per *rixosam Theologiam* Voetius illam *Scholasticorum*, ut vero simillimum est, intelligit, cæterasque causas ad idem ætatis Scholasticæ tempus alligatas cupit: non tàm *natæ* sub Dionysio personato, quàm nova *incrementa* sub regno Pontificio *capientis* Theologiæ mysticæ origines pandere judicandus est. Pseudodionysium enim etjam illi, qui à possessione occupati per injuriam ævi Apostolici in maximè citeriora detrudunt, seculis tamen aliquot antecedere faciunt primos Scholasticorum. At nos Voetii quæstionem legentes *nascentis* potiùs, quàm *adolescentis* initia

4) exspectabamus. † Quæ de suprà commemoratis planissima, nisi fallor, aliquis habuerit. Profecti ab Simone hæretici Theologiam invexerant maximè carnalem, §. 38. Hujus detestatione Clemens Alexandrinus ejusque similes, nimis, ut fieri solet, in oppositum latus nitentes, ad majorem, quàm quæ homini hâc in vitâ possibilis est, *spiritualitatem* Christianos vocare sunt conati, §. 44. 45. donec per Massalianos in apertum *Enthusiasmum & jactatas Dei visiones* negotium erupit,

5) §. 47. † In hunc modum expositæ rationes Voetii *prima* de odio seculi corrupti, & *tertia* de experimentis contemplativorum, à scopo non abludent. Nec malè suspecta ipse

6) habuit experimenta illa diabolicarum illusionum. Confer quæ diximus ad §. 21. lit f. 4. & ad §. 47. q. † *Secundæ* verò rationi, quam ipse facit rixosæ Theologiæ, (quoniam in ætatem Dionysii, qui mysticam auspicatus est, parùm ea competit, imò ne in tempus quidem, quo eam orbi Latino intulit

7) Joannes Erigena Scotus, de quo postea n. 41. hujus literæ) substituenda omninò fuerit alia † Ea est *fastidium Theologiæ simplicis* ac piscatoriæ, h. e. Apostolicæ, *nimiusq; in Platonem affectus.* Quem uti nos jam in Alexandrino Clemente notabamus §. 46. sic Voetius ipse non obscurè carpit in Scriptoribus Theo-

Theologiæ mysticæ, dum p. 80. *terminos* illis exprobrat *nec scripturarios, nec genuinos philosophicos, sed metaphoricos, hyperbolicos aut catachresticos quasi Spagirico-hermeticos*, & Platonico-metaphysicos: *e.g.* hominis Deificatio, in Deum transformatio, animam mori, propriam formam amittere, actione omni destitui, Deum solum agere, hominem tantùm pati, ecstaticus amor, divinus deificans amor, divina caligo, divina unctio, cognitio Dei secundùm unitionem suprà mentem, id est supermentalem conjunctionem, super intellectualemque unionem, motus animæ circularis, & in semet ipsam introitus etc. *apud Carthusianum, & Pseudo-Areopagitam & reliquos mysticos, qui illum sequuntur.* * Ita nimirum est: (8
Theologiæ sacræ cum Platonicâ Philosophiâ, quæ per secula priora maximos admiratores habuit, mixturam Clementi jam familiarem, quisquis ille fuit larvatus Areopagita elaboravit in formulam Theologiæ mysticæ. Qui Massalianis, sive antecessores habuit, Enthusiasmum debere; sive successores, tradere potuit. * Invitat locus, & in jecta per (9
Voetium rixosæ Theologiæ, quæ *Scholastica* est, mentio, ut *Theologia Mystica Scholasticæ*
hanc cum *Mysticâ* paulisper componamus, quidque ipsis inter se conveniat, quid utramque dissociet rursus, obiter vestigemus. * Venerant Paulus & alii Apostoli οὐκ ἐν σοφίᾳ (10
λόγου, 1. Cor. 1, 17. οὐ καθ' ὑπεροχὴν λόγου ἢ σοφίας, οὐκ ἐν πει- *partim simile.*
θοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις ibid. c. 2. v. 1. 4. Quibus igitur
hæc simplicitas sordebat, hi respectare paulatim incipiebant ad veteres Gentilium Sapientes. Horum Philosophia sacris dogmatibus confusa simplici & ab Ethnicismo non adulteratæ Theologiæ duas alias, licet seculis longè disparibus natas opposuit, *Mysticam* & *Scholasticam*. * Has duas (11
dum hîc nomino, vitia ipsarum noto, non admixtas vitiis virtutes, ad quas à nostratibus orthodoxis utraque revoca-

tur ad eum modum, quô affectûs, tantum vitiis eorum amputatis ad mediocritatem redigi solent. * Enim verò germanam minimeque impuram Theologiam obsideri dicas velut ab adversariis duabus sub amicitiæ personâ fallentibus, illinc à Mysticâ, hinc à Scholasticâ. Quarum altera sanctimoniâ quadam, quâ voluntatem peccatis, altera subtilitate, quâ intellectum insciti exuat, in amorem sui rapuit incautos. * Hactenus ergò Mysticæ doctrinæ cum Scholasticâ pax est. Utraque sinceritatem admixto fuco adulterat. Utriusque causæ procreantes eædem: cupido novandi, dedignatio simplicis, atque, ut ita loquar, plebejæ Theologiæ, & pruriens in Sapientiam quasi patriciam τῶν ἔξω φιλοσόφων curiositas. * Nunc videamus earundem & discrimina. Leve illud est, quod temporum facit intercapedo. Quanquam enim inter Pseudo-Dionysium Theologiæ mysticæ, & Petrum Abelardum, (de quo postea n. 47.) Scholasticæ fundatores spacium intercedit plus minus octo seculorum: impedire tamen hoc, si in cæteris esset consensus, earum coalitionem non posset. * Quòd interim tanto intervallo junior est Scholastica, id non evenit aliunde, quàm quòd *Aristotelica* Philosophia, cum primis Ecclesiæ temporibus præ *Platonicâ* dispretam eam jacere & conculcatam contigisset, paulò ante Abelardum erexit caput, & in pretio Christianis, Latini quidem orbis, unicè esse cœpit. * Hujus nimirum propago Scholastica est Theologia, sicuti Platonicæ Mystica. * Quo simul factum, ut his duabus Theologiis, quas de cætero demonstrata modò cognatio sociabat, non multò fidelior intercederet concordia, quàm Platoni cum Aristotele. * Horum utique adeò diversa fuerunt ingenia, ut *dicendi* quoque amarent *characteres* planè contrarios, Plato grandiloqvum illum Poëtarum, Aristoteles aridum & spinosum

12) 13) 14) *partim dissimilis & adversa.* 15) 16) *Illa videlicet Platonica, hac Aristotelica Philosophia tradux.* 17) 18)

spinosum Dialecticorum. Quod haud dubiè Sidonius Apollinaris significat, cùm lib. IV. Epist. 3. vetustis Philosophis suas quasi proprietates dividens, *explicare Platonem, implicare Aristotelem* dixit. † In *rebus* autem ipsis longè plus fuit dissidiorum, cùm de divinis magnificè admodùm sentiret Plato, valdè humiliter & abjectè Aristoteles. Quamobrem illum θεῖον, hunc elogio inferiore δαιμόνιον cognominavit Antiquitas. † Ab his ergò tam infestis Principibus accepta duplex Theologia nunquam potuit tàm firmo amicitiæ vinculo connecti, quin Scholastici subinde Mysticos *Enthusiasmi* accusarent, vicissim à Mysticis objectum sibi crimen inutilium & plenarum offendiculo *rixarum* audirent. † Etiam qui conciliare duas has Theologias volebant, distinctas nihilominùs profitebantur. Gerson Epist. ad Barthol. Carthus. Part. I. Oper. Alphab. XVI. lit. D. *Videbit hoc, quod dico, verum esse, qui forsitan inciderit in tractatulum unum, quem de Theologiâ mysticâ tàm speculativè, quàm practicè conatus sum ordinare, habens hanc intentionem, deducere ad notitiam familiarem & propriam Scholasticorum ea, quæ devoti homines de eâ magis affectivâ declamatione, & figurativâ locutione, quàm literatoriâ proprietate tradiderunt. Notetur locus ille, ubi Theologia* mystica *differentiam hanc à* literatoriâ *ponitur inter cæteras* habere, quia unit & transformat. Idem Tractatu de Examinatione doctrinarum sub fin. Part. I. Oper. Alphab. XVIII. lit. O. *Sermo de sentimentis spiritualibus* (ea sunt, quæ Voetius vocabat experimenta) *negligitur vel spernitur, nisi quis ita fuerit institutus quòd Doctores approbatos & eruditos in* utraque Theologiâ, Scholasticâ & Mysticâ *pro ducibus amplectatur.* Paulò pòst: *Sunt aliqua scripta de impulsibus & de conceptibus, & de concordiâ* Theologiæ mysticæ cum Scholasticâ, *& similia multa, quæ proficiunt ad examinationem doctrinarum.* † Recentiore memoriâ concordi-

19) 20) 21) 22)

cordiam istam sancire laboraverunt è Jesuitis duo inprimis, Maximilianus Sandæus, in Theologiâ Mysticâ, impressâ Moguntiæ A. 1627. & in Clave Theol. Mysticæ, edita Colon. A. 1640. ante hunc autem Franciscus Svarez, quem Sandæus p. 657. Theol. Myst. hoc ornat elogio: *Hujus ingenio, diligentiâq; perfectum est, ut quid de contemplationis, mysticæ naturâ, proprietatibus, perfectione sentiendum sit, & quò se humana mens per*
23) *speculationem elevare possit, Scholasticus securè pronunciet.* † Verùm ne Svarezio quidem pax illa procedere potuit, nisi *novitatis δόξας* mysticorum non paucas eruncaret, ut è Voetio cognoscemus §. 53. g. 5. Quæ ingenuitas in eo laudari de-
24) bet utique. † Nec alium sive reformandi, sive conformandi modum servant nostri, quibus Pontificii verritores multas insuper everrendas quisquilias reliquere. †
25) Nam Sandæi ratio, qui fanatica Mysticorum pronunciata tantùm non omnia fidiculis admotis in commodiorem sensum rapit, valdè vereor, ut aliquid ampliùs præstet quàm illorum inconsulta temeritas, qui vel Platonem cum Aristotele, vel utrumq; cum sacrâ Scripturâ in gratiam reposituri, quibus benefactum ita cupiunt eos miserrimè torquent. Capitalius est utriusq; Theologiæ si primas earum origines contemplamur, ex pugnantibus gentilium sectis deductas, odium, quàm ut bonâ fide salvis utriusque decretis componi queat.
26) † Itaque Voetio, rixatricis Theologiæ fastidium inter causas doctrinæ memoranti, eâ lege utcunque assentiar, si *propagatam aut adultam* intelligat mysticam, non *ortam primitùs*. Video enim hujus vicissitudinis simulacrum in Philosophiâ
27) quoque nostra. † Diuturna in Scholis usurpatio *Aristotelis* in tædium tandem vertit. Quo impleti quidam diu sepultum *Platonem* in orbe Latino refoderunt, aut certè vix ossa trahentem novis viribus instruxerunt. Id quod hodiè in Anglia

Angliâ tanto conatu fieri audimus, ut novam quoque Theologiam, Origenianæ non absimilem, polliceatur Regnum ab Enthusiastis hactenus miserè vexatũ, ac nescioã non hoc ipso veluti libramine præparatum Platonismo. † Sed his omissis redeamus ad explicandos natales Theologiæ Mysticæ. Eam totam qui maximè ad leges certæ methodi confirmat, *tribus* circum scribere solent *viis*. Quarum nomina sunt: *purgativa, illuminativa, unitiva. De quibus* (verba sunt Sandæi p. 360. Clav. Theol. Myst.) *agunt omnes ferè spiritualium rerum Magistri.* Usurpant hanc methodum novissimi quoque Scriptores, Christianus Hoburgius, cujus Mystica Theologia Amsterodami anno 1655. germanicè: & Philippus à Sanctissimâ Trinitate, cujus summa Theologiæ Mysticæ Lugduni anno 1656. latinè prodiit. † Sed observavit Sandæus d. l. *ultimam viam propriè spectare ad mysticam: imò esse ipsam Theologiam mysticam*: puta stricto sensu acceptam, de quo vide Voetium p. 7. 8. de Exercit. piet. † Strictum hunc sensum obtinuisse opinor ex eo, quia Mysticæ Dionysii Theologiæ libellus solam exequitur *viam unitivam.* † Nostrum est ostendere, quemadmodùm hæ *tres viæ* omnes indicatæ primùm fuerint à Platonicis. *Theologia Mystica* (Dionysii, viam unitivam insistens,) definitur à Carolo Hersentio appar. ad Dion. Areop. Theol. Myst. p. 33. *cognitio Dei per essentiam seu substantiam; seu etiam Dei, ut in se ipso est, experimentum: vel perfecta & exquisita Dei cognitio super omnem aut sensùs aut mentis operationem, suprà affirmationem aut negationem, quæ intimâ essentiæ animæ cum essentiâ DEI unione & conjunctione, cum summâ pace, silentio & ignoratione perficitur. Definitio hæc*, (ita pergit Hersentius,) *summa eorum est, quæ à Dionysio hoc libro evolvuntur, quæ maximè consentiunt cum decretis, quæ non tantùm divini rerum mysticarum Scriptores, sed etiam Philosophi*

(28 *Theologiæ mysticæ methodus, tribus viis comprehensa.*

(29

(30

(31

Platonici (etiam ad Pythagoricos provocat p. 9.) *super hoc Theo-*
32) *logiæ genere scripta reliquerunt.* † Satis hæc est ingenua de consensu Theologiæ Dionysianæ cum Platonicâ, quem & in aliis duobus tetigimus suprà lit. *p.* ad §. 14. & lib. *b.* ad §. 18.) confessio. Sed quandoquidem ad *unitivam* tantùm viam ea pertinet; ut cæterarum quoque duarum, *purgativæ & illuminativæ* incunabula deprehendamus, totumque hoc choragium sub uno aspectu ponamus, simul fidem iis, quæ in textu de ἀπαθεια diximus, perspicuè faciamus: de *quatuor* secundum Scholam Platonis *virtutum gradibus*, instituenda est narratio.
33) † Platonici gentiles, qui tertio vivebant post Christum natum seculo, quatuor gradûs constituebant virtutum, cùm alias *politicas* facerent, alias *purgatorias*, alias *intellectuales* (τὰς πρὸς τὸν νῶ) alias *exemplares*, *Politicas* ajebant quasi ex bestiâ facere hominem per μετριοπάθειαν: *purgatorias* ex homine dæmonem bonum per ἀπάθειαν: *intellectuales* ex tali dæmone Deum: *exemplares* ex Deo Patrem Deorum. Copiosiùs hæc legi possunt apud Porphyrium initio partis II. sententiarum ad intelligibilia ducentium p. m 235. seqq. quam partem primùm è Vaticano codice Lucas Holstenius edidit. Pro *intellectualibus* virtutes *purgati animi* commemorat Plotinus apud Macrobium I. in somn. Scip. 8. p. m. 50. Sed has Porphyrius sub purgatoriis complectitur. † Profluxerunt hæc talia maximam partem ex damnatâ hypothesi de animarum nostrarum non ex nihilo creatione, sed effluxu ex ipsâ Dei essentiâ seu substantiâ, (hinc animas derivabant etiam Gnostici, teste Aug. c. 6. de hæres.) in quam reduci eas denique posse per hos virtutum gradûs docebant, à complexu corporis ac materiæ, quæ principium illis omnis erat malignitatis, abjunctam. † Non quæro hîc, an Plato ipse reductionem hanc ut futuram docuerit. Satis habeo, sic docuisse Porphyrium

Quatuor gradus virtutum secundum Platonicos,

34) *Orti ex hypothesi de animarum effluxu è Deo,*

35)

um & Platonicos illi similes. † Qui quidem hâc lege volebant hominem non modò similem Deo fieri, sed æqualem, ac planè θεωθηναι. † Quo pacto simul fundamentum ponebatur negandæ corporum resurrectioni, cùm absurdum videretur, rem tàm divinam in beatissimo sui statu copulari cum materiâ τῇ κακοποιῷ. Repete quæ ad §. 35. lit o. 15. diximus. † Non absimilibus fundamentis institisse videtur *Almaricus* (sic euphoniæ gratiâ, uti reor dictus pro *Alcmarico*, quod illi nomen passim dat Gerson,) de quo Catalogi hæreticorum inter alia: *Negabat resurrectionem corporum, paradisum similiter & infernum: sed qui in se Dei cognitionem haberet, illum habere quoq; in se paradisum; qui contrà peccatum mortale haberet eundem infernum habere in se, non aliter, quàm dentem putridum in ore. Dicebat, mentem contemplativi vel beati perdere suum esse in proprio genere, & redire in illud esse ideale, quod habuit in mente divinâ*, Prateol. de hæres. p. m. 327. Cum his extremis confer, quæ de Begardis ex Gersone retulimus §. 38. y. 2. † Sed mirum, nisi *Almaricianæ* hæreseos qualiscunque occasio quærenda sit in Theologiâ Dionysianâ. Scribitur enim virus suum Almaricus, seculi decimi tertii ineuntis hæreticus, è *Joanne Scoto* suxisse, non famoso illo Sophistâ, propriæ inter Scholasticos sectæ conditore, quo ipse prior ætate fuit, sed longè antiquiore altero, quem *Erigenam* cognominant: illo nimirum, qui Dionysii opus hierarchicum, & alia quædam latinitate primus donavit, libroque à se scripto errores quosdam disseminavit, nescio an non in ipsum Dionysium, saltem obliquè referendos. † Æstimari, quæ dixi, volo è testimoniis sequentibus, Hostiensis (citatus etiam Gersoni Tract. de concord. Metaphys. cum Log. Parte IV. op. alphab. XX. lit. N. & Epist. ad Barthol. Carthus. Part. I. alphab. XVI. lit. C.) ad lib. I. Decretal. de summâ Trinit. §. Reprobamus f. m.

(36

(37

(38 *Almarici hæresis.*

(39 *hausta è libris Johannis Erigenæ Scoti.*

(40

5. Impii

5. *Impii Almarici dogma istud colligitur in libro Magistri Joannis Scoti, qui dicitur Periphysion, i. e. de Natnrâ. Quem secutus est iste Almaricus, de quo hic loquitur. Sed & dictus Joannes in eodem libro auctoritates cujusdam Græci nomine Maximi* (vix dubito quin Maximus hic fuerit ille operum Dionysii, & in his Mysticæ quoque Theologiæ Scholiastes, septimi seculi scriptor,) *introduxit. In quo libro, qui & per Magistros damnatus fuit Parisiis, multæ hæreses continentur. Primus & summus error est, quòd omnia sunt Deus Unde dicit: Motum* Deo *dare non possum: & sequitur, cùm in ipso sint omnia, & cùm ipse sit omnia. Et alibi in eodẽ libro dicit: non facilè posse negari, Creaturam & Creatorem idem esse. Secundus est, quòd primordiales causæ, quæ vocantur ideæ, i. e. forma seu exemplar, creant & creantur. Tertius est, quòd post consummationem seculi erit adunatio sexuum, sive non erit distinctio sexûs: quam adunationem in Christo asserit incepisse.* Matthæus Westmonasterienſis ad annum 883. (citante Voss. lib. VIII. Hist. Pelag. Part. IV. p. 741.) *Eodem anno venit in Angliam Magister Joannes nomine Scotus. Iste Joannes rogatu ejusdem Regis* (Galliæ Caroli Calvi,) *Hierarchiam Dionysii Areopagitæ de Græco in Latinum transtulit, ut intelligatur latina litera, cùm volubilitate magis græcâ, quàm compositione construitur latina. Composuit etiam librum, quem* περὶ Φυσεων μερισματος, *i. e. de naturæ divisione intitulavit, propter perplexitatem quarundam quæstionum solvendarum benè utilem, si tamen ignoscatur ei in quibusdam, in quibus à Latinorum tramite deviavit, dum in Græcos acriter oculos intendit. Unde & hæreticus à quibusdam putatus est. Scripsit etiam contrà eum quidam Florus* (de hoc vide Vossium lib. II. de Histor. Latin. c. 19. p. 240.) *qui & ejus scripta depravando damnavit. Sunt enim reperta in libro Periphysicon per plurima, quæ nisi diligenter discutiantur, à fide Catholica aliena judicantur. Hujus autem opinionis particeps esse cognoscitur Pontifex Romanus* (Nicolaus I. si credimus Pitseo de script. Angl. p. 168.) *qui in Epistola ad Carolum missa dixit:*

xit: Relatum est Apostolatui nostro, quòd opus Dionysii Areopagitæ, quod de divinis nominibus, & de cœlestibus ordinibus græco descripsit eloquio, quidam vir Joannes, genere Scotus, nuper transtulit in latinum. Quod juxta morem Ecclesiæ nobis mitti, & nostro judicio debuit approbari: præsertim cùm idem Joannes, licet multæ scientiæ esse prædicetur, olim non sanè sapere in quibusdam frequenti rumore dicatur. *Propter hanc ergò infamiam idem Joannes Franciam relinquens Regem Ælfredum petivit.* † Hic igitur Joannes Erigerina Scotus (cujus nationis fuerit, non disputo,) noni scriptor seculi, mortisque raro genere celebris, discipulorum enim graphiis confossus est,) quem multi enormi errore cum Joanne Duns Scoto, Bedæ discipulo, quo quidem junior paulò Erigena fuit, confundunt, Mysticam Dionysii Theologiam tertio ante natam Scholasticam seculo, primus ad Latinos detulit. Cujus & in Mysticam Theologiam librum memorant Pitseus p. 169. & Baleus. † Sed quid est, quòd iidem in illo librorum ab Erigenâ scriptorum catalogo mox subjungunt: *Paraphrasticos tomos librum unum?* Valdè vereor, ut sana sit hæc scriptura. Itaque facilè patiar, si quis libri titulum reformet in περὶ Φύσεων μερίσματος. Sic enim nominabat Westmonasterienſis, & alioqui nuspiam hic liber comparet inter cæteros Erigenæ, memoratos à Pitseo & Baleo. † Quicquid tamen de hoc sit, illa certè, quæ in Theologiâ Mysticâ laboravit Joannes iste Scotus, dignum faciunt, quem auctoribus Theologiæ Mysticæ, ut ut hos enumeranti Sandæo p. 646. & seqq. Theol. Myst. omissum, accenseamus. † Quid? An de hoc ipso Scoto fas erit interpretari Hugonem Victorinum, lib. I. Excerptionum priorum caput 24. (Tom. II. op. f. 221. ed Mog. A. 1617.) sic inchoantem: *Theologus primus apud Græcos Linus fuit, apud Latinos Varro,*

(14 *Qui primus Theologiam Mysticam à Græcis propagabit ad Latinos,*

(42

(43

(44 *Hugonis de S. Victore lorg.*

& noſtris temporibus Johannes Scotus de decem in Deum categoriis. Diximus enim, primum hunc fuiſſe, qui Theologiam myſticam daret Latinis & hujus traductione cœleſtis Hierarchiæ Dionyſii uſum videmus Hugonem in ejusdem operis explanatione (Tom. I. op. f. 340.) Ac fortaſſe liber Erigenæ in Theologiam myſticam is ipſe eſt, quem *de decem in Deum categoriis* vocat Hugo, uti ſunt interdum ejusdem libri plures titu-
45) li. † Nec valdè quemmoveat, quod de hoc Scoto loquitur Hugo tanquam de ſui temporis ſcriptore, cum tamen inter utrumque ſpacium interſit annorum ferè 300. Quòd enim *noſtris temporibus* ait Hugo comparatione ſeculi Varroniani dictum apparet. Ita reſpondere malo, quàm his verbis pro argumento uti ad abjudicandos vel Hugoni, vel (quod Bellarminus facit p. 231. de ſcript. Eccl. Labbeitamen Part. II. p. 294. calculum non meritus,) Richardo Victorino
46) Excerptionum libros. † Cæterùm hi duo *Victorini, Hugo & Richardus* à Sandæo proximi poſt Dionyſium ejusque interpretes memorantur Auctores Theologiæ myſticæ p. 649.
47) † Incidit ætas utriusque Victorini in ſeculum à Chriſto na-
Scholaſticæ Theologiæ initium quærendũ. to duodecimum, h. e. in ipſam nativitatem *Scholaſticæ Theologiæ*, quam in *Petro Abelardo* auſpicor. * Tametſi enim non i-
48) gnoro, prima ejus initia in *Lanfranco*, qui Abelardum integro
non in Lanfranco: ſeculo anticipavit, conſtitui à Lamberto Danæo, quem alii vulgò ſeqvuntur, cap 1. pro legom. in Lombardum: tamen ut ita pronunciaret, hoc dediſſe potiùs videtur ſuæ religioni,
49) quàm hiſtoricæ veritati. * Mentem meam ſic expono. Conſtat *Berengarium* de S. Cœnâ idem ſenſiſſe, quod Calvinum. Ideò diſcipulis hujus valdè carum eſt Berengarii nomen. Quem eapropter & *Simon Goulartius* Flacii Catalogo Teſtium Veritatis inſerendum putavit, unà cum pluſculis aliis ejusdem ſententiæ Patronis, quorum apud Flacium nec vola compa-

comparet, nec veſtigium. Neque verò pro eo zelo, quo conſtanter eſt complexus orthodoxiam in certamine Euchariſtico *Flacius*, unquam hos tales in Catalogo ſuo ferre potuiſſet, aut horum ψευδεπιγραφῶν pro teſtimonio veritatis allegâſſet. Ut adeò minimè diſſimulanda ſit iſta Goulartii in opere alieno tàm audax iniquitas, præſertim nullo diſcrimine Flacianis teſtibus ſuos immiſcentis. Sed hoc ὁι παρόδω. Berengarium acerrimè oppugnavit *Lanfrancus*. Dignus ergò Danæo viſus, à quo Theologiam Scholaſticam, quæ videlicet malè audit ob Theologiæ purioris depravationem, ordiretur. * Non excuſo Lanfrancum à quo ſciam ita fuiſſe reprehenſum Berengarium, ut ipſe in alterum Tranſubſtantiationis extremum impingeret, ſed nec cauſam reperio, cur ipſum inter Scholaſticos Theologos nominem primum. Nam illa corruptio cœleſtis doctrinæ, quæ tamen jam ante Lanfrancum cœperat, occaſionem tantùm Theologiæ dedit Scholaſticæ, nondum eſt ipſam enixa. * Quod tùm demum factum dicemus, ubi labes illa *formulam artis* accepit Qualis formula in *ſententiis Lombardi* ſatis eſt luculenta. Sed Lombardo tamen ſcribendi hoc genus præiverat Præceptor ejus *Petrus Abelardus*: cujus Theologiam ante Henricum Gandavenſem & Trithemiũ æqualis ejus memorat Bernhardus. Qui & aliquoties *librum ſententiarum* Abelardi habet in ore. Teſtis autem eſt Fileſacus, Lombardum non pauca ex Theologicis tractatibus Præceptoris Abelardi, demptis nævis, (habet enim, Pontificiis quoque judicibus, locum aliquem Abelardus in Catalogis hæreticorum,) mutuatum eſſe. * Jam eodem ævo & alii non pauci *libros* ſcripſerunt *ſententiarũ ſuarũ*, ut Simon Tornacenſis, Petrus Pictavinꝰ, Gilbertus Porretanus. Quos omnes & ipſum Lombardum non defuerunt, qui iisdem penè temporibus incuſarent damna-

(50

(51
Sed in P Lombardi præceptore P. Abelardo.

(52

53) tarum in conciliis hæresium. † Omitto *Hugonem de S. Victore*, cujus *sententiarum Liber* septem Tractatibus distinctus habetur Tomo III. oper. ejus f. 297. in Elencho, qui Tomo illi præmittitur, malè sic inscriptus: *Tractatûs septem in summam sententiarum.* Quod rerum ignarus Lector aliter interpretari vix potest, quàm Hugonem dedisse commentarios in Magistrum sententiarum. Quod quidem secus est. Neque enim Hugo sententias alienas est interpretatus, sed dedit suas, ut
54) planum est inspicienti. † Nihil verò aliud *hi libri sententiarum* fuére, quàm Systemata quædam Theologica. Quale nullum Lanfranco tribuunt Bibliothecæ: primum inter Latinos, quod sciam, Petro Abelardo. Quo merito principem
55) eum Theologiæ Scholasticæ fecimus. † Et memorans eum Trithemius in Catalogo p. m. 74. rectè addit: *Ab hoc tempore* (Abelardi puta, non Lombardi, uti citatur apud Calixtum p. 137. Apparat. vitio librarii ut opinor) *Philosophia secularis sacrã Theologiam suâ curiositate inutili fœdare cœpit.* Quæ Trithemii verba Danæo quoque prolata c. 2. prolegom. admonere ipsum poterant erroris sui de Lanfranco, cujus temporibus
56) ne pater quidem Abelardi natus fuerat. † Hæc omnia pluribus manifesta facerem, & testibus confirmarem, si id ageretur in præsentiâ. Afferenda tamen fuerunt, ut intelligeret Lector, eodem tempore in Latinis Ecclesiis & Mysticos Theologos adolevisse, & Scholasticos primùm in auras prodiisse. † Fuit enim *Richardus Victorinus* aut primus aut inter
57) primos, qui habitum artis induceret Mysticæ Theologiæ. Testis mihi Johannes Gerson, qui in Annotatione Doctorum aliquorum, qui de contemplatione locuti sunt, Parte IV. Op. Alphabet. VIII. lit. C. ubi Dionysium nominavisset, statim subjungit: *Venerabilis Ricardus quasi primus post eum materiam hanc ab aliis sub collaudatione vel admonitione traditam reducit ad modum*

Cujus abo & Mystica Theologia per Richardum Victorinum apud Latinos formulam artis accepit:

dum artis & doctrinæ in suo de arcâ mysticâ. † Leguntur equidem (59
& in Hugonis operibus Tomo II. f. 187. de *Arcâ Noæ Mystica* liber unus, & f. 195. de *Arcâ Morali* libri quatuor: sed planè diversi à quinque libris Victorini *de arcâ Mysticâ*, faciem artis omninò referentibus, quam in Hugone desideres. * Apud Labbeum parte II. de Script. Eccl. p. 294. opus hoc Richardi hunc habet titulum: *De gratia contemplationis libri quinq;*. Addit enim: *occasione acceptâ ab arcâ Mosis.* Sed nobis ex dono Clarissimi Collegæ & Affinis Wolfgangi Volradi vetustus est codex, in cujus fronte nihil aliud legitur, quàm hoc: *Richardus de Arca mystica.* Libri I. caput 1. quod est de contemplatione & ejus commendatione sic incipit: *Mysticam illam Moysiacam libet, si liceat ex inspirationis illius munere, qui habet clavem scientiæ, lucubratiunculæ nostræ expositione vel ad aliquid referare.* * Pro (60
quinq; autem libris *sex* videtur, nescio unde, agnoscere Sandæus p. 649. Theol. Myst. sub Richardo inquiens: *Medullam Theologiæ mysticæ continent libri sex de contemplatione, quibus nihil in hoc genere legi accuratius & ingeniosius.* * Eadem ergò ætas & Scholasticæ & Mysticæ Theologiæ prima dedit Systemata, quasi (61
mutuâ æmulatione (cui simile m in Juris Civilis & Canonici compilatoribus alii observant) accensis inter se Magistris. Sed illud tamen teneamus interim, hâc ratione cum infantiâ Scholasticæ adolescentiam conjungi Mysticæ, etiamsi ultrà latinum orbem in hoc negotio non peregrineris, ut ea vincunt, quæ de Johanne Erigena prodidimus in præcedentibus n. 41. * Neque verò est, quòd quis accipiat, si, quo primum tempore Scholastica Theologia formulam artis adepta est, eodem & nata censeatur, idem in Mysticam quoque valere oportere. Diversa enim utriusque Theologiæ ratio est, perinde ut inter philosophos alius Platoni, alius Aristoteli genius fuit. Ille negligens methodi, hic observans. Itaque (62

ut Philosophia Platonis, sic & inde orta Theologia mystica haud paulò priùs in cunis jacuit, quàm prætextam artis, ut ita loquar, sumeret. Aristotelem contrà cum Scholasticis
63) Theologis suas prætextas ex ipso utero dicas attulisse. † Quanquam ne ipse quidem Dionysius omnis methodi planè securus fuit. Etenim, si Carolo Hersentio credimus p. 5. Apparat. ad Theol. myst. *quadruplici modo* divina pertractandi quadruplicem suæ Theologiæ partem aptavit, ita, ut modo *primo* respondeat ejus liber de divinis hypothesibus, *secundo* de divinis nominibus, *tertio* Symbolica, *quarto* mystica Theologia. Atque hæc ipsa qualiscunque habet Systematis rudimenta, sed talia videlicet, quæ sequacium industriâ in artis figuram planiorem essent elimanda atque perpolienda. Quod seculo duodecimo fecisse Richardum ostendi ex Gersone. † Sequenti seculo *Almaricus* Theologiæ
64) huic satis in se quidem scabiosæ, atrox venenum suffudit hæ-
Seculo sequenti per Almaricum erumpens in hæresin manifestã, reseos pestilentissimæ, quam supra n. 38. delineavi: tanto eventu, ut Mysticorum insecuti temporis alios manifestâ contage afflaret, quibus tamen cæteri contradicebant, alios suspectos redderet certè. † Manifestum virus illos corripuit,
65) quos *Rusbrochius* tanquam suo tempore viventes (vixit autem ipse seculo decimo quarto) inducit affirmantes. *se nullum habere Deum, sed usq; adeò sibi esse mortuos, ac Deo unitos, ut ipsimet Deus effecti sint*, apud Voet. p. 81. de Exerc. piet. Idem alibi apud eundem Voet, p. 86. nescio quos falsos prophetas, ut caveri possint, depingit, qui ejus sint sententiæ, *ut animas suas ex Dei substantia creatas affirment, cumq; mortui fuerint, rursum se futuros esse id, quod antea fuerint, perinde ut scyphus aquæ haustus ex fonte, si in ipsum fontem refundatur, idem est, quod fuit prius. Addunt his, post extremum judicii diem omnes omninò homines, malos æquè ac bonos, & simul Deum ipsum non nisi unam eandemq; Dei essentiam, quæ in*

quæ in omnem æternitatem absq; ulla actione semper otio vacatura sit, esse futuros. * Hos tales ergò non depingens modò, sed (66
& abominans *Ruysbrochius*, magni vir inter mysticos Theologos nominis, videtur ipse quidem ab iisdem erroribus immunis fuisse: sed cum phrasibus tamen interdum uteretur ab istâ illuvie parum detersis, factum est, ut ipsum Gerson insimularet hæreseos in Almarico condemnatæ apud Sandæum p. 650. Theol. myst. nisi dicas, eum fluctuâsse, aut initiò infectum posteà resipuisse. Nam & Gerson teste Sandæ op. 431. scribit eum in aliis operibus errorem correxisse. * Et verò satis Almaricum sapiunt illa Rusbrochii, quæ ex (67
eo refert Gerson Epist. ad Barthol. Carthus. super tertiâ parte libri ejus de ornatu spir. nupt. Part. I. oper. alphab. XV. lit. Z. *quòd anima tunc* (in beatitudine viæ) *definit esse in illa existentia, quam prius habuit in proprio genere, & convertitur, seu transformatur & absorbetur in esse divinum, & in illud esse ideale defluit, quod habuit ab æterno in essentia divina.* * Similia ex Gersone de (68
aliis affert, & in Almarico damnata rejicit Sandæus p. 426. Theologiæ mysticæ. Neque alio ex fonte biberunt illæ apud Rovenium recentioris ævi spirituales virgines, quæ nihil crepant, nisi *sui esse annihilationem, uniones supereſſentiales amorem Deificum, insensibilitatem, abyssalem cum Deo identificationem confricationem Deificam, mortem sensuum & omnium affectuum*, & alia id genus portentiloquia plura, citante Voetio p. 89. de Exerc. piet. * Ultima horum omnium scaturigo est Philo- (69
sophia Platonicorum, humanas animas ut ex ipsâ Dei substantiâ derivans, sic in eandem per *gradus virtutum quatuor* denique refundens. Quo magis veteribus Christianis danda fuerat opera, ne locum huic Philosophiæ darent in sacrario Dei. * Sed quid factum fuerit, videmus. Cùm illa *in Deum animæ reductio* simul blandiretur inusitatæ cujusdam ac minimè vul- (70

Cujus ultima radix Philosophia Platonica.

mè vulgaris ſanctimoniæ ſpecie, cupidiùs quàm prudentiùs à quibusdam (abſit eidem crimini omnes involvam,) arrepta peperit nobis paulatim myſticam Theologiam, cujus primum autorem Dionyſium ſciunt eruditi magis cum Platone περαγλωγεῖν, quàm cum Apoſtolis ſtudere verborum ac ſenſuum humilitati. * Utique Carpentarius ad c. 1. Alcinoi. p. 5. cùm ex Porphyrio ϖϱὸς ἀποχὴς quædam ab illis virtutum gradibus non abludentia protuliſſet, in eandem ferè ſententiam multa eſſe ſubjungit apud Dionyſium lib. de Trinitate. Et Cauſabonus Exerc. I. ad Baron. ſect. 10. p. 61. obſervavit vocem θεωθῆναι, *Deum fieri* familiarem eſſe tùm Patribus piis, tùm Dionyſio. * Sed age, veniamus propiùs in rem præſentem. Certum eſt, *quatuor illos virtutum gradûs*, quos ex Porphyrio protulimus ſuprà n. 33. placuiſſe quibusdam Chriſtianis. * Edidit Joannes Wegelinus Auguſtæ Vindel. A. 1603. Anonymi Chriſtiani Philoſophi librum de virtute. Is c. 26. virtutes priorum graduum duorum practicas facit, (quanquam Porphyrio purgatoriæ jam ſunt ϑ ϖϱὸς θεωρίαν αἰνίσσονται,) poſteriorum theoreticas, è quibus exemplares vocat θεουργικὰς quod Wegelinus p. 104. vertit *deificas*. Sed præſtat ipſum audire ex p. 41. πασαρας γὰϱ ἀϱετὰς ἥδεσαν βαθμίδας οἱ παλαιοὶ. δύο πϱακτικὰς, πολιτικὴν, ἣ καὶ μετϱιοπάθεια, καὶ καθαϱτικὴν, ἣ καὶ μετϱιοπαθεια, καὶ καθαϱτικὴν, τὴν δὴ καὶ ἀπάθειαν: δύο δὲ θεωϱητικὰς, νοεϱὰν, ἣ ϑ ἀμιγὲς καὶ ἀσυνθέτως, καὶ ἀληθῶς ἀνθϱώπῳ ζωὴ, καὶ θεουργικὴν, ἥτις ἐστὶν ὑπὲϱ ἄνθϱωπον. Verba hæc ſunt non recitantis, tantùm, ſed approbantis, ut è toto contextu patet. * Non aliam diſtinctionem in animo habuit Euſtratius Epiſcopus Nicænus, proœmio in Ariſtotelis Moralia. Proferemus ejus verba ex verſione latinâ, quamq; fieri poteſt breviſſimè: *Felicitas à principio* μετϱιοπάθεια *eſt* (habes virtutem πολιτικὴν,) *poſtremò in affectuum ſublationem devenit, quæ* ἀπάθεια *dicitur*

71) 72) *Doctrina de quatuor virtutum gradibus approbata à Chriſtianis.* 73) 74)

dicitur, (habes καθαϱτικὴν.) *Quod cùm fit, hominis anima in mentem intellectumq; aſcendens primò intellectualis h. e. intellectus per participationem, deinde etiam divina efficitur*, (habes νοεϱὰν & θεουργικὴν,) *Deo unita per eam, quæ in ipſo intellectu inſita eſt, unitatem, quæ a magno Dionyſio flos mentis apellatur.* Vides ſimul, hæc eſſe Dionyſio conſentanea. Sed pergamus. † *Politicæ* virtutes hominum ſunt in civili ſocietate degentiũ, & *imperfectorum*, quos Alexandrinus Clemens vocaſſet ψυχικὰς. Atqui myſtica Theologia *contemplativum* potiùs informare quærit & πνευματικὸν. Ergò bonâ cum veniâ dimiſit virtutum genus πολιτικὸν: ex cæteris autem tribus exſtruxit illas ipſas *tres vias*, quibus n. 28. diximus Theologiæ myſticæ methodum abſolvi: *purgativam*, cui virtutes purgatoriæ; *illuminativam*, cui νοεϱαὶ: *unitivam*, cui θεουργικαὶ reſpondent. *Purgativâ* dicunt appetitum ab affectibus mundari; *illuminativâ* intellectum notitiâ rerum divinarum imbui; his actibus quaſi præparatam animam Dei Sponſam viâ *unitivâ* tandem in Sponſi amplexum deduci, atque ità θεωθῆναι. † Thomas â Jeſu Carmelita lib. I. meth. div. or. c. 5. ita diſſerit p. 44. *Purgativæ* (viæ) *eſt purgare ac perficere ſenſûs: illuminativæ rationem: unitivæ ſpiritum ſeu mentem, quæ eſt ſuperior animæ pars.* Et p. ſeq. *In purgativâ cognoſcit homo ſe ipſum, in illuminativa Deum, in unitiva ſtudet unioni & transformationi in ipſum.* † Similia leguntur apud Philippum à Sanctiſſ. Trinitate, Carmelitam & ipſum. Hic tres vias, quas omnes facit animæ contemplativæ, ſic diſtinguit: In *prima*, quæ propria eſt incipientium, agitur de reformatione naturæ corruptæ, f. 17. ſumm. Theol. myſt. In *ſecunda*, quæ propria proficientiũ, de illuſtratione naturæ mundatæ, f. 175. In *tertia*, quæ propria perfectorum, de transformatione mirabili naturæ ſanctificatæ, f. 325. † Jam quoniam occaſione τῆς ἀπαθείας huc delati ſumus, ex hoc Philippo libet oſtendere, purgativæ ſco-

(75 *objecto primo gradu peperit tres vias Theologiæ myſticæ* (76 (77 (78 *quarum prima propoſito habet* ἀπάθειαν.

pum constitui ἀπάθειαν, planè ut purgatoriarum apud Platonicos virtutum. Sic autem ipse f. 17. *Hæc purgatio purificat tàm a fectum per evacuationem peccatorum per exstirpationem vitiorum, & mortificationem passionum, quàm cognitionem per exclusionem aut moderationem notitiæ rerum temporalium.* † Modestiores tamen scriptores mystici ut autor Theologiæ Germanicæ c. 27. fatentur, indolentiam in hominem cadere in hâc vitâ non posse. † Cæterùm Philippus d. l. & Thomas à Jesu p. 43. tres illas vias juxtâ Dionysii doctrinam in Ecclesiasticam Hierarchiam derivant ex Angelicâ. Distinguit enim Dionysius c. 3. cælestis sive angelicæ Hierarchiæ *Purgatores* ab *Illuminatoribus*, & hos à *Perfectoribus*. Vide & Casman. parte II. Angelogr. c. 8. q. 3. p. 370. ex Franc. Patricio. † Horum omnium scaturigo sunt virtutes *Platonicorum* purgatoriæ, cum iis, qui sequuntur deinceps, gradibus: nisi fortasse altiùs adhuc adsendere hîc possimus, non dicam ad *Orpheum*, dubiæ fidei Poetam, (apud quem aliàs, si Mirandulæ concl. 9. de modo intelligendi hymnos Orphei f. m. 71. credimus, idem sunt *Curetes*, quod *Potestates* apud Dionysium,) sed ad *Ægyptios* usque & *Chaldæos*. † A quibus illam Angelorum in ordines certos partitionem dum derivant Franciscus Patricius apud Casm. d. l. & ejus discipulus Livius Galantes lib. VI. compar. Christ. Theol. cum Plat. f. 177. 178. & lib. VII. f. 196. atque hâc ratione commendatum eunt nobis, reverâ ex alioqui suspectâ reddunt suspectiorem. † Videntur illi *novem Chori*, quos longè expressiùs apud Kircherum in Pyramide Lucis & Tenebrarum (de quâ §. 35. lit. *n.* 1.) delineatos, quàm in sacro codice revelatos reperio, inventum esse hominis τὴν ἐξωφιλοσοφίαν cum Christianâ religione miscere, & reperta in sacris literis Angelorum cognomina ex placitis Chaldæorum interpretari gestientis. Itaque si maximè Proclus, magni nominis

79) 80) *Ordines Angelorum apud Dionysium,* 81) 82) *reperti & in Gentili philosophiâ* 83) 84)

nis inter Gentiles philosophus multa ex Dionysio ἀνταῖς ἔργοις ταῖς λέξεσι transcripsit, ut habet Suid. in Dionys. Areopagitam non tàm aliena suffuratum eum esse dixerim, quàm avitum patrimonium (esto à Chaldæis primitùs magis, quàm Platone partum,) vindicâsse, secus atque sentiunt Aug. Steuch. lib. VIII. de perenn. Philos. c. 10. & seqq. ac Theoph. Raynaud. Theol. Natur. p. 138. quibus confer Carol. Hersent. p. 43. Apparat. ad Theol. myst.

c) † Varinus f. 1553. Lexici πρακτικὸν, γνωστικὸν, & θεωρητικὸν ita distinguit, ut si quis cum eis componat, quæ lit. præced. n. 75. seqq. de tribus viis Theologiæ mysticæ diserimus, vix probabilius dici aliud queat, quàm πρακτικὸν esse eum, qui in viâ *purgativa*, γνωστικὸν, qui in *illuminativa*, θεωρητικὸν, qui in *unitiva* sit constitutus. ΠΡΑΚΤΙΚΟΣ ἔστιν, inquit, ὁ τὸ παθητικὸν μέρος τῆς ψυχῆς μονον ἀπαθὲς κεκτημένος, καὶ ὁ τῆς σαρκὸς ἐξελθὼν τὴν ἡδονὴν. καὶ τὴν ὀδύνην. ΓΝΩΣΤΙΚΟΣ ἦ, ὁ τῆς ψυχῆς ἐξαφανίσας τὴν λήθην, καὶ τὴν ἄγνοιαν. ΘΕΩΡΗΤΙΚΟΣ ἦ ὁ τὸν τῶν πολλῶν ἀπολύσας τύπων, καὶ μόνῳ τῷ κτ. Φύσιν καὶ ὄντως κρυφίῳ τῆς θεότητος καταλαμπόμενος, καὶ τὴν Φύσιν πρὸς ἑαυτὴν κατασήσας ἄριστον. * Præcedunt his non valdè absimilia, quibus duo tantùm, πρακτικὴν ἀρετὴν, & γνῶσιν distinguit: ΠΡΑΚΤΙΚΗ ΑΡΕΤΗ ἔστι μέθοδος πνευματικὴ τὸ παθητικὸν μέρος τῆς ψυχῆς ἐκκαθαίρουσα, καὶ ὀδύνης καὶ λύπης, καὶ ζεναγωγὸς ἀπάθεια. ΓΝΩΣΙΣ δὲ θεωρητικὴ ἀσφαλείας καὶ ἀποβολὴ. Pro ἀσφαλείας lege ἀσφάλεια, nesit in verbis contradictio. Vult Varinus, γνῶσιν esse θεωρητικὴν ἀσφάλειαν, quam possumus intuitivam certitudinem vertere. Talem in secundâ, vel utique in tertiâ viâ constituunt Mystici Theologi. * Atque huc tendunt τῆς γνώσεως apud Varinum definitiones plusculæ aliæ f. 429. ΓΝΩΣΙΣ ἡ διὰ τοῦ πνεύματος χάρις ἐν ταῖς καρδίαις τῶν ἁγίων γινομένη ἔλλαμψις. ΓΝΩΣΙΣ ἡ θεωρία τῆς ἁγίας τριάδος. ΓΝΩΣΙΣ καθαρτάτης ψυχῆς

(1 *Varini quædam loca explicata & emendata.* (2 (3

θέα τῶν ἀσωμάτων ἐξουσιῶν καὶ δυνάμεων. ΓΝΩΣΙΣ δέ τι νῦν καθαρὰ καὶ εἰλικρινὴς μυῶν πάντη αὔλαξ διάυγεια καὶ φανότης, ἐνόρασις τε καὶ φάνεια πάντων τῶν νοητῶν πραγμάτων. ΓΝΩΣΙΣ δέ τι πάντων τῶν ἐρχετύπων, καὶ τῶν ἀναδειγματων, ὧν ὅδε ὁ κόσμος τὰ σύμβολα καὶ τὰς εἰκόνας παρέχει σκοπὸς γὰρ τῆς γνώσεως ἡ τὰ ἀληθῆ γνῶναι, ἀλλὰ τί τοῦτο σημαίνει. 4) * Patet hæc omnia de γνώσει quâdam eximiâ loqui, ac tali qualem Gnostico suo Clemens, illuminato aut unito Theologi mystici, perfecto suo Massaliani darent, alii fortè contrà ipsam πίστιν distinguerent. Utique his definitionibus illa quoque apud Varinum inserta est, quâ γνῶσιν τῇ πίστει opponit, de quâ §. 4. b. 4. 5) * Verùm ut Lexicographus iste congerit potiùs omnia, quam digerit: ita cæteris definitionibus alia quoque miscet, quæ ad minoris pretii γνῶσιν, (de quâ vel simili suprà §. 44. m. 4. 5.) quadrent. Ea verò est hæc: ΓΝΩΣΙΣ ἡ τῶν θείων γραφῶν διὰ λόγων ψιλὴ κατανόησις. 6) * Cæterùm illud γνωστικῶς εἰδέναι, quod ex Dionys. Areop. profert Scapula f. 317. Lexici, videndum, an non & ipsum ad illam augustiorem γνῶσιν referri debeat.

§. 53. Utique offerunt se in illâ *Theologiâ mysticâ*, perinde ut in Stromatibus Clementis, juxta salutares herbas noxiæ quædam & spirantes *Enthusiasmum f)*, quæ suspectam fecerunt ipsorum quoque Pontificiorum nonnullis *g)*.

Mysticæ Theologiæ suspectæ Enthusiasmi.

f) Fuerunt sub Papatu, qui vel insciì vel imprudentes viam multùm straverunt Enthusiasticis illis suæ Theologiæ mysticæ, quemadmodùm loquuntur, & libellis pietatis, Hoornbeck summ. Controv. lib. VI. p. 384. Quærit Voetius c. 3. de Exerc. Piet. p. 77. *An Scriptores Mystici fuerint Enthusiastæ?* Et respondet per quatuor conclusiones. 1. *Nolo*, inquit, *credere, in forma tales fuisse, nedum in intentione sua, ut constat ex aliis illorum scriptis.* 2. *Plurima tamen, aut saltem aliqua periculosè dicta ab illis, quamvis non eâdem mente, qua ab Enthusiastis & Libertinis hodiernis accepta, viam detestandis Enthu-*

Enthusiasmis & furoribus straverunt. 3. *Hoc etiam Enthusiasmi suspectos illos reddidit, quòd ex illis prodierint, aut illis permixti fuerint, aut ipsorum ætate exorti sint, qui prætensis ipsorum mysticis aut ecstaticis ampullis Enthusiasmos suos super addiderint, aut in illos se transformarint.* 4. *Libertini hodierni tanti fecerunt mysticorum quorundam (nominatim Tauleri) libros, ut hinc ab orthodoxis in suspicionem Libertinismi vocati sint. Quin imò monstrosissimus omnium Enthusiasta Henricus Nicolai non veritus fuit eximium libellum Thomæ à Kempis de imitatione Christi pro libitu mutatum vernacula lingua evulgare.*

g) * Non adeò bellè convenire inter mysticos Theologos & Scholasticos ad §. præced. *d*, 20. ostendimus. Hîc proferamus testimonia duorum Pontificiorum, Sancæi & Herentii qui licet ipsi omnibus modis patrocinentur locutionibus mysticorum non paucis valdè horridis: non dissimulant tamen, horum Theologiam aliis, quos ipsi quidem minùs peritos vocant, suspectam haberi, nec audent absque discrimine Mysticos omnes albâ lineâ signare. (1 nec omnibus inter Pontificios satis approbata. * Sandæus dedic. clav. in Theol. Mysticam: *Obscuritas in mysticorum scriptis dictisq; oritur ex sententiis quibusdam in Scholasticorum exedra minùs receptis, aut quorum sensus secundùm corticem est perquam difficilis*, de illapsu immediato in animam: de amore mystico omnis cognitionis experte: de fundo animæ, ejusdemque vertice de quiete, in quâ cessetur ab omni actu tàm intellectus, quàm voluntatis: de cognitione Dei negativâ sine omni imagine, *& gemina his non pauca. Ob quæ Mysteriorum illorum minùs periti, aut iniqui judices spargunt, insulsos quosdam, ut loquuntur, duros, periculosos, & sincerioris doctrinæ idiomati haud convenientes loquendi modos contineri in Theologia Mystica.* Paulò post: *Quamvis ante annos aliquot libris tribus de Theologia mystica in lucem editis, quæcunq; ferè traduntur à Mysticis, ad Philosophiæ ac*

Scholasticæ normam exegerim, docuerimq;, nihil in iis reperiri, quod si probè intelligatur, & interpretem habeat minimè malignum, falsitatis aut impietatis nomine jure condemnari debeat: imò nihil in iis esse, quod cum Philosophorum & Scholasticorum enunciatis non bellè conveniat, tametsi multa sint, quæ vulgus non capiat; multa quæ profanè tantùm doctis paradoxa videantur; deniq; multa, quæ inexpertis admirationem pariant: nihilominùs animadversum est temporis lapsu, nondum omnibus esse satisfactum. Herfentius præfat. Apolog. in Mysticæ Theol. obtrectatores; *Cujus* (Mysticæ Theologiæ) *non tantùm ratio sed etiam nomen Theologorum vulgo contemptui est.* Quatuor *verò argumentis nos impugnare solent.* Primùm, *Mystica dogmata esse inania nomina rerum, h. e non rerum Majestate, sed tantùm vocum fuco, pompa, singularitate valere. Non diffitemur tamen, quosdam Pseudomysticos Doctores esse, qui barbara & inaudita quædam vocabula* (quid vetat etiam hæc comprehendere sub βεβήλοις κενοφωνίαις ab Apostolo damnatis? Conf. Voet. p. 76. 90. de Exerc. piet.) *confingentes, mysticæ scientiæ fumum potiùs, quàm veritatem venditant.* Secundum, *quo nobis multum negotii facessere existimant, est, Theologiam mysticam errorum mille fontem esse, utpote, quæ certas loquendi formulas habeat, ex quibus multæ absurdæ consequentiæ deduci possunt: puta, cùm dicit, animam annihilari, mori, transformari in Deum.* Tertia *objectio est: Mystica pronunciata ita aliquando obscura esse, ut doctissimorum hominum, etiam Theologorum intelligentiam prætergrediantur.* Quartum, *quo Mysticam disciplinam obscurare moliuntur, est, eam plura dicere, probare pauca.* In his omnibus, quod obiter observes, Mystica Theologia resipit fontem suum, philosophiam Platonicam: quæ & ipsa verborum ampullis magnifica, sensibus hæretica, sæpiùs obscura, vix ullibi demonstrativa est. † Sandæo & Herfentio, quorum testimonia cognovimus, tertium adjungamus Bellarminum, cujus verba p. 280. de script. Eccles. sub Rusbro-

brochio prolata repetuntur passim ab aliis, ut à Miræo Part. I. Bibl. Eccl. f. 264. Valer. Andr. p. 556. Bibl. Belg. Sandæo p. 431. Theol. Myst. Hoornbeek summ. Controv. lib. VI. p. 385. *Id accidere solet, iis, qui scribunt de Mystica Theologia, ut eorum dicta ab aliis reprehendantur, ab aliis laudentur, quia non eodem modo ab omnibus accipiuntur.* † Sed ut sigillatim quoque pernoscamus, qui Mystici scriptores à quibus inter ipsos Pontificios vocati ad partes fuerint, locum eâ de re Voetii ex p. 77. de Exerc. piet. proferimus: *Quia ipsi antiquiores & recentiores in mysticis meteorologiis suis sibi non satis faciunt, posteriores plerumq; priorum dicta suspecta habent, & accusare, aut emollire coguntur. Sic Gerson notat Ruysbroeckum, & Joh. de Schoonhavia? Illum tamen defendant Surius interpres, & Ger. ab Hamont, editor operum Ruysbrochii inpræfationibus præmissis An. 1552. Eckius carpit Taulerum* (Si Blosio Tauleri Hyperaspistæ apud Sandæum p. 652. Theol. myst. credimus, factum hoc fuerit odio Lutheri, Taulerum magnificè laudantis. Laudes eas vide apud Neandrum præf. Theol. & Hoheburg in Tauleri Medullâ animæ mox post tit.) *Bellarminus Harpium in lib. de Scriptor. Eccles.* (p. m. 298. Verba Bellarmini de Mysticâ Theologiâ Harpii: Hoc opus interdictum fuit in Indice librorum prohibitorum, nisi repurgatum esset ad exemplum ejus, quod repurgatum prodiit Romæ A. 1585.) *Carthusianus autorem triplicis viæ* (Initium hujus libri est: Viæ Sion lugent, ut cognosco è Gersone Part. IV. oper. Alphab. VIII. lit. c.) *Zvvarez Taulerum,* (dogmata quædam mysticorum Theologorum, quæ à Suaresio, partim & à Carthusiano refellantur, & castigentur, vide apud Voet. p. 69. 70. 73. q. 7. 9. 10. 16.) *& Gersonem: qui idem passim mysticorum conceptus in nonnullis refutat. Vide Possevinum in Apparatu, & post omnes crisim eorum exercentem Sandæum de Theol. myst. p. 646. 658. ubi enumerans Theologiæ mysticæ scriptores, antiquos*

antiquos & recentiores, nullos præter Harpium, Taulerum, Ruysb. Angelam de Fulginio nota critica insignit. Hactenus Voetius. † Henricum quoque Susonem cujusdam hæreseos suspectum fuisse, ex ejus vitâ tradit Besoldus Dissert. deprægogn. philos. c. 1. p. 31. moxque addit ex Ascetic. Nigroni: *Nec Taulerum & similes aptum suis censent Patres è Soc. Jesu.*

6)

§. 54. Vicissim in eâ micantes quædam strictura pietatis inusitatæ, nec in Scholasticâ Theologiâ obviæ commendabilem, hâc certè sui parte, fecerunt B. *Luthero* primùm, qui dignum habuit *Germanicæ Theologiæ libellum h)* tali charactere scriptum, quem præfatione ornaret; posteà proximè remoto à nostrâ memoriâ *Johanni Arndio*, qui editis de vero Christianismo libris quatuor id officii præstare Theologiæ mysticæ videtur voluisse, quod ex consilio Lutheri vitis Patrum. ex Evagrii & Ruffini officinâ profectis præstiterat Georgius Major, ut eam à scoriis repurgaret *i)*.

1) *Libellus Theologiæ Germanicæ quando repertus?*

2) *Editus à Lutthero,*

h) † De hoc libello Joh. Agricola in proverb. Germnum. 720. Es ist bey meinem gedencken in Preussen ein deutsch Büchlein gefunden worden auff einem Kompterhofe/ des Titel ist: Ein geistlich Büchlein von rechten Unterscheid / was der alte und neue Mensch sey Quæ inde citat Agricola, leguntur, c. 9. † Lutheri editio, quam penes me habeo impressam in 4to. Lipsiæ A. 1519. (Witebergæ An. 1618. primam prodisse narrant Sam. Dilgerus in der Lehre Joh. Arnds O 6. & Nicol. Hunn. Betr. der Weigel. Theology p. 20. alii annum 1520. 1528. vel 1531. nominant, quæ editiones repetitæ esse possunt,) hunc exhibet titulum: Eyn deutsch Theologia / das ist / eyn edles Büchlein vom rechten Verstand/ was Adam und Christus sey/ und wie Adam yn uns sterben / und Christus ersteen sol. Totidem prope verba reddit editio Arndii Magdeb. A. 1621. in 8vo. † De Autore, qui nomen suum dissimulavit, certius nihil affirmare licet, quàm quòd fuerit, ut habent verba præfationis, ein Deutscher Herr / ein Priester und ein Custos in der Deutschen Herren Hauß zu Franckfurt. † Ut haud dubiè fallantur, qui à Taulero scriptum censent apud Neandrum præf. in Theol. Tauleri & Theol. Christian. p. 740. qui & ipse in eandem sententiam proclivis, aliter tamen pronunciare videtur in illâ prolixâ Erotematum gr. ling. Basil. 1565. editorum præfatione 312. Adde, quod Taulerum ipse Theologiæ Germanicæ scriptor citat c. 12. Unde, quod ad ætatem attinet, Taulero aut æqualis, aut posterior esse convincitur. Vid. & Flacium in Testib. veritatis, sub tit Theol. Germanica p. m. 931. † A Johanne Wolfio Tom. I. memor. f. 863 ad ann. 1460. memoratur nescio quis *Eblendus Historicus*, qui librum sub titulo Theologiæ Germanicæ scripserit. Eundem Eblendum Johannes Böttiger p. 258. Isag. Histor. testibus veritatis seculo XV. claris aggregat, medioque loco ponit inter Æneam Sylvium, & Wesselum Groningensem. Fieri potest, ut Theologiæ Germanicæ titulo & alius scriptus sit liber: sed hunc ipsum tamen, de quo hic ago, à Wolfio & Bottigero signari dixeris. Hæc de Auctore habui. † Characterem Theologiæ mysticæ vel hæc verba produnt, quæ sunt ultima capitis 12. Darumb sind drey weg Zum ersten dye Reynigung. Zum andern dye Erleuchtung. Zum dritten dye Vereynigung. Sed hîc tamen ita versatur, ut c. 27. disertè disputet, indolentiam in hâc vitâ cadere in hominem non posse: ut omninò modestioribus annumerandus veniat. † Tametsi verò reliquæ sunt adhuc in eo periculosæ quædam phrases, quas observant Nicol. Hunn. Betracht. der Weig. Theol. p. 28. & Voet. c. 3. de Exerc. piet. p. 81. à Luthero tamen in præf. meruit inter alia hoc elogium: Vnd daß ich nach meinem alten Narren rühme/ ist mir nechst der Biblien und St. Augustin nicht vorkommen

3) *Autor ejus ignoratur:*

(4

(5 *an Eblendus?*

(6 *mysticam capit Theologiam, sed modestè.*

(7 *De eo judicium Lutheri,*

kommen ein Buch / darauß ich mehr erlernet hab und wil / was GOtt / Christus / Mensch und alle Ding seyn. † Gratiam & huic libro, & scriptis Tauleri apud nostrum conciliavit, quòd Theologiam traderent dissimillimam Scholasticæ, cum quâ, ut quæ maximè sanam de Christo verisque bonis operibus doctrinam corrupissent, jam tùm eo tempore præcipuum Luthero certamen fuit. Conf. Hunn. d. l. & Frœreis. Anat. Dracon. fanat. B. 1. † Non ergò est, cur facilitatis, aut imprudentiæ statim illam Lutheri commendationem damnemus cum Joh. Hoornbeek. Summ. Controv. lib. VI. p. 385. † Nec defuerunt post Lutherum Germanicæ huic Theologiæ laudatores è nostris. Flacius in Catal. Test. Ver. p. 931. *Plura clariora animadverto eum* (autorem libelli) *de verâ ac falsâ Theologiâ scivisse, quàm vel potuerit, etiam voluerit, aut deniq; ausus sit manifestè exprimere.* Neand. præf. Erot. gr. ling. p. 312. *Nemo Christianus legens illum libellum non potest non cum admiratione obstupescere super illâ opulentiâ gratiæ & Spiritûs, quam in mediis densissimis tenebris Dominus opulenter tamen effudit in pectus contempti æditui.* Wie hat er doch die Augen so tieff in die Schrifft gestecket *paucorum exemplo!* Joh. Arnd in præf. suâ: Du wirst in diesem Büchlein nicht viel Gezänck / unartige Affecten / oder stacheliche Reden finden / sondern lauter reine Liebe / Verlangen nach dem höchsten einigen Gut / Verschmähung der Welt / Auffopfferung deines eigenen Willens die Creutzigung deines Fleisches / die Gleichförmigkeit mit Christo in Gedult / Sanfftmuh / Demuth / Creutz und Trübsal / Summa wie du dir selbst und der Welt absterben / und Christo leben solltest. † Latinè hunc librum à *Johanne Theophilo* versum, impressit Oporinus Basileæ 1557. in 8vo. Antverpiensem An. 1558. editionem citat Hoornbeek, Lugdunensem An. 1580. Voetius, *nomenq; Theophili*, inquit, *forte fabricatum est.* † Rectè. Interpres enim vero nomine fuit *Sebastianus Castellio.* Quâ de re sic scribit Theodorus Beza Epist. 46. quæ est ad Grata-

8) 9) 10) *Flacii,* *Neandri,* *Arndii,* 11) *Latinè versus à Johanne Theophilo,* 12) *h. e. Sebastiano Castellione,*

Gratalorum, Medicum Basileensem: *Verùm hoc, amabo, rescribe, si quam fecero in meâ responsione mentionem* Belli & Theologiæ Germanicæ, *& ille se eorum librorum autorem inficietur,* (certum habeo, quod ad Theologiam Germanicam attinet, *autoris* vocabulo interpretem latinum designari: vox ambigua Hoornbeekium decepit, ut hunc Bezæ locum planè non intelligeret:) *num id possim ita securè affirmare, ut, si necesse fuerit, testibus etiam, & idoneis argumentis convinci possit. Nam dere ipsâ, id est, quin reverâ libros illos, ac præsertim* præfationem Bellianam *ediderit, non dubito, sed videndum nobis est, ut non tantùm detegatur iste, verùm etiam convincatur.* † (13 Non nominatur quidem disertè in illâ totâ Epistolâ Castellio: sed ad illum, quod hîc scribitur, pertinere, manifestum facio ex aliis Bezæ verbis in vitâ Calvini: *Quùm anno 1554. ineunte Calvinus subscribentibus Collegis omnibus copiosam Servetanæ doctrinæ refutationem edidisset, adjectis etiam rationibus, cur & quatenus, à Magistratu quoq; legitimâ præeunte cognitione, punire hæreticos oporteret, oppositerunt ille* (Castellio & Lælius Socinus,) *farraginem, partim ex scriptis piorum doctorum depravatis, partim ex fanaticorum quorundam ignoti alioqui nominis schedis consarcinatam, Matini cujusdam Bellii, (is ipse fuit Castellio, quamvis id postea ejurarit,) præfationi inscripto, & ementito Civitatis nomine, in quâ editam fuisse hanc farraginem mentiebantur.* Vid. & Besoldum dissert. de Majest. Sect. II. c. 3. n. 4. p. m. 96. † Castellionis illam Theologiæ (14 Germanicæ versionem esse suspicatus eram etiam antequàm in Epistolam Bezæ ducerer, tùm è stylo præfationis, tùm è consensu rerum, deprehendebam comparans p. 6. & 9. dictæ præf. cum p. 265. & 278. Dialogi Castellionis de fide, edit. Aresdorff. A. 1578. Nec ignorabam, Castellionem, licet Italum hominem, nostratis linguæ sic satis fuisse peritum,

quòd hujus peritiæ documenta quædam ex ejus defens. transl. Bibl. p. 16. 31. & 34. collegissem.

Et Scholastica & Mystica Theologia repurgata à nostris.

i) Duæ partes sunt Christianismi: vera fides, pia vita. Illa ad intellectum, hæc ad voluntatem refertur. Illi Scholastica, huic Mystica Theologia subvenire conata est olim, sed ita, ut plurimùm labis adspergeretur. In utraque repurgandâ laboraverunt nostri, cùm exemplo illis præivisset Lutherus. Huic enim bella fuerunt non cùm Scholasticis modò doctoribus, sed cum Enthusiastis quoque ac fanaticis. Post Lutherum quasi partitis operis alii Scholasticam, ali Mysticam magis magisque, reformare sunt aggressi. E quibus *Johannes Arndius* maximè negotium sibi sumpsit *Mysticæ Theologiæ* refingendæ in faciem saniorem. Hujus generis libellorum Praxin observavit Besoldus p. 31. præcogn. Philos. suggeri in *vitis Patrum*. Ergò Georgius Major, dum Vitas patrum repurgavit, quod quidem factum est A. 1544. non consciò tantùm, sed etiam impellente Luthero, ut ex hujus præfatione cognoscimus (vide & supra §. 51. a. 6.) Arndio quodam modo præluisse in opere simili censendus est.

§. 55. Ut adeò causa Besoldo *k*) non fuerit, cur impuram, & Massalianorum hæresi proximam exoscolari apud Pontificios, quàm repurgatâ frui apud nostros, religionis veræ desertor maluerit *Mysticam Theologiam*.

Besoldus imprudens apostata:

k) Besoldus, ubi suæ ad Pontificios defectionis causas edit, inter alia nostros accusat, quòd imitationem Christi pro superstitione habeant; de unione cum Deo per viam *purgativam*, *illuminativam*, *unitivam* nihil doceant. terminos ipsos ne intelligant quidem, ac derideant potiùs. Hoc frigus *Schwenckfeldio*, rigidioris vitæ homini, occasionem dedisse scindendæ Ecclesiæ: *Arndium*, qui scriptis de vero Chri-

Christianismo libris è Kempisio, Taulerô, Granatensi ac similibus, Theologiæ longè sublimioris fundamenta jecerit, à Sœlis, Lucâ inprimis Osiandro fuisse impugnatum. Hæc & in hunc sensum alia plura germanicè Besoldus c. 7. der Motiven p. 119. seqq. Cui graviter est eâdem linguâ vere que responsum à Theologo excellenti D. Tobia Wagnero p. 372. seqq. der Evangelischen Censur: nequaquaquam à nostris imitationem Christi pro superstitione duci, nec omitti à docentibus quicquam illorum, quæ adveram *purgationem*, *illuminationem*, cumq; Deo *unionem* pertineant: cæterùm cùm sub terminis *viæ purgativæ* & c. Enthusiasmo soleat aditus quæri, rectè facere, qui in illorum locum ὑγιαίνοντας λόγους substituant: *Schwenckfeldio* Schismatis sui rationem reddendam fore: *Arndium* apologiâ editâ, quâ tionem reddendam fore: *Arndium* apologiâ editâ, quâ Confessionem Augustanam, & Formulam Concordiæ normam esse Scriptorum suorum voluerit, satis demonstrâsse, quàm nec de aliâ Theologiâ cogitaverit, nec de sublimiore, quàm quæ sit inter nos recepta: Osiandri judicium ad incommodas è Taulero phrases respexisse: quæ si ad analogiam fidei reducantur, nullam fore liti materiam reliquam.

§. 56. Nobis causa est, cur gratias DEO agamus pro clarissimâ luce veritatis cœlestis, eundemque toto pectore precemur, ut nec eam inter nos extingui, nec à nobis, sui Sancti Spiritûs gratiâ gubernatis, admitti quicquam sinat, quod sit tanto splendore collustratis indignum!

§. 57. Id quod per nos quidem, qui Christianæ Philosophiæ studia crescentibus ingeniis instillamus, ita fiet, si finem ultimum laboribus nostris præfigamus veram γνῶσιν, & quæ inde sequitur, ferventem dilectionem ὃ ὢν ἐν ὁ ἐχόμενος, ut ex Evangelistâ *l*) Gentilis Philosophi phrasin corrigam.

l) Apoc. 1. 4.

§. 58. Nam etsi sunt, qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terrâ: nobis tamen unus est DEUS PATER, ex quo omnia, & nos in illum: & unus DOMINUS JESUS CHRISTUS, per quem omnia & nos per ipsum *m*): & unus SPIRITUS SANCTUS, dividens singulis prout vult *n*) Huic UNI DEO servire libertas est. Hunc nosse vita æterna est. Hunc amare Beatitudo.

m) 1. Cor. 8. *v.* 6. *n*) *1.* Cor. *12. 11.*

Summa Paragraphorum Schediasmatis.

(Quid in Annotationibus maximè tractetur, marginalia designabunt.)

PHilosophiæ vocabulum *latissimè* sumitur disciplinis tàm instrumentalibus, quàm principalibus, §. 1. *latè* §. 2. 3. 4. pro solis vel principalibus §. 5. vel theoreticis §. 6. *strictissimè* pro solâ Metaphysicâ, ut in definitione vel Aristotelis, φιλόσοφία ἐστὶ γνῶσις τῶν ὄντων, ᾗ ὄντα ἐστί, §. 7. 8. 9. vel Platonis γνῶσις τῶν ἀληθῶς καὶ ὄντως ὄντων, §. 10. vel Pythagoræ, ΓΝΩΣΙΣ ΤΩΝ ΟΝΤΩΝ. §. 11.

Ubi τὰ ΟΝΤΑ sola notant æterna & immaterialia. §. 12. 13. Platoni νοητὰ dicta & ὄντως ὄντα, §. 14. è quibus Aristoteli *Ens ut Ens* Deum notat, §. 15. objectum scil. Metaphysicæ §. 16. non, ut Scholastici putaverunt, naturam à Deo & creaturis abstractam. §. 17. Nec enim Aristoteles, Plato, Pythagoras sic abstraxerunt §. 18. in eo lapsi tamen, quòd Intelligentias putaverunt ejusdem esse cum Deo essentiæ, §. 19. Platonis & Aristotelis dissidium circà Ideas & Universalia §. 20. fecit, ut Aristoteles è sensibilibus quoque §. 21. Plato non nisi ex intelligibilibus eliceret *Scientiam*, quæ & σοφία illi & νόησις, §. 22. & φιλοσοφία §. 23. item ΓΝΩΣΕΙΣ §. 24. Quo nomine intelligebat *eximiam rerum divinarum notitiam* §. 25. nec sine ratione §. 26.

Etiam Scriptura Sacra *veram* de Deo notitiam vocat γνῶσιν, §. 27. *falsam* γνῶσιν ψευδώνυμον, 1. *Tim. 6.* §. 28. Qui locus directè loquitur de *Simone Mago* §. 29. 30. per consequentiam de *Gnosticis* §. 31. 32. & quibus libet Hæreticis §. 33.

Simon Magus è Zoroastris doctrinâ duos Deos hausit, bonum & malum, barbarisque nominibus in suâ Theologiâ usus est, §. 34. Hinc explicantur in dicto Pauli ἀντιθέσεις, & βεβήλοι κενοφωνίαι, Gnosticorum item amor in Zoroastrem, §. 35.

Idem Simon cum discipulis, ut Christianam Religonem Ethnicæ misceret §. 36. errorem de duobus contrariis rerum principiis æternis Ecclesiæ infundere conatus est. §. 37. Iidem impurissimè viventes §. *spirituales* tamen & *perfectos* esse se jactabant §. 39.

γνώσεως vocabulum retinuerunt Christiani §. 40. 41 & Semichristiani Platonici §. 42. *Clemens Alexandrinus* quoque & alii *perfectos* Christianos appellaverunt *Gnosticos* §. 43. eosq; dixerunt esse non modò πνευματικὰς seu *spirituales*, sed etiam ἀπαθεῖς & ἀναμαρτήτους §. 44. Quo pacto nimis in alteram partem prolapsi §. 45. quò Platonicæ quoque & Pythagoreæ amor eos impulisse videtur §. 46. occasionem dederunt Sectæ *Massalianorum* & *Pelagianorum* §. 47. 48. damnatæ per Ecclesiam §. 49. Unde nec ipsi ab omni sunt reprehensione immunes §. 50. cum suâ ἀπαθείᾳ §. 51. Quæ cum aliis periculosis dogmatibus in *Mysticam* quoque transiit *Theologiam* §. 52. suspectam Enthusiasmi etiam Pontificiis quibusdam §. 53. à nostris autem repurgatam, §. 54. 55. Conclusio §. 56. 57. 58.

FINIS.